



RAHTU BYR

STR

RAHTU BYR

STR

RAHTU BYR

STR

SERENISSIMO POTENTISSIMO

OPTIMO

ALBERTO

ARCHIDVCI

A V S T R I A E,

D V C I

B V R G V N D I A E,

P R I N C I P I D O M I N O P A T R I

B E L G A R V M .

M Agnitudinis Tuæ Famam, SERENISSIME PRINCEPS, venerabor, si de LITTERIS loquar. Eæ excelsæ quædam dotes sunt, & quoties magnum aliquod pectus invaserunt, propè divinæ. Homines inter homines olim inclyti, & a 2 qui

qui Deo velut proximi cæleste in ter-
ris munus sustinebant , Bonarum Ar-
tium numina coluerunt : quasi Re-
gno ac Diademate digni, quos Sapi-
entiæ Genius extulisset . Pulchrum
videlicet erat, parem Imperio habere
Mentem ; non tam regere multa, quam
scire : ut tantam quisque caperet Ani-
mo Potentiam, quantam Sceptro usur-
paret. Atque horum, ut conditio; sic
quoque gloria Tua est, POTENTISSIME
PRINCEPS , qui perfecti Exemplum
ævi repræsentans , nihil deesse votis
nostris passus es. Nuperam belli tem-
pestatem cum tot Viatoriis, quot Vir-
tutibus mitigasses , & cruento Mar-
te nolles vincere ; Pacem & Pacis stu-
dia amplexus es. Quid multis ? Au-
reum Belgis reddidisti seculum; ut qui
Optimus es , Felicissimis quoque
populis imperares . At postquam ca-
strorum

strorum strepitum missa cælo tran-
quillitas compescuit, deprehenderunt
omnes, in Aulæ tuæ Sacrario junctam
Virtuti Minervam habitare . Etiam
ad Academiæ nostræ colles gloriae iste
rivus promanavit; & tanquam ibi ha-
bitares, ubi Musæ coluntur, nouo fa-
voris exemplo excitare ad eas potissi-
mùm Artes ingenia Belgarum volui-
sti, quas & amares ipse maxime, & in-
telligeres, sine damno atque dedecore
publico non jacuisse. Ego certè, quo
in munere benignus me Liberalitatis
Tuæ affectus aleret, ignorare non po-
tui: & vel hinc nemo, quanti LIT-
TERAS faceres, quibus admotus sum.
Igitur ut PRINCIPI meo placerem, pro-
dessem omnibus, laborioso adjeci mo-
lestiam muneri; & ut quam utilissimè
Docerem, EXERCERE Iuventutem
in optimo genere studiorum aggress-

sus sum. Sed hic quoque conatum
meum industriamque incredibilis &
promptissima Humanitas Tua vicit:
quantum Iuventuti petii, concessum
fuit. Vniuersum verò Institutum, quā
Prudentiā expendisti, eā Autoritate
confirmasti. Nihil fuit, quod non sum-
mo affectu prosecutus sis. Ne sorderent
deinceps Litterae, præmia Discenti-
bus addicta sunt; &, ut omnia videreris
promittere, IMAGINEM quoque donasti,
aureo velut favoris radio omnium pe-
ctora accendens. Hæc igitur PALÆSTRA
BONÆ MENTIS est: quæ uti vitam à per-
enni Serenitatis Tuæ aurâ accepit; ita
jam producta, divinum tot Virtutum
subire jubar audet, ut vires accipiat, &
perferre hominum injuriam possit.
Tantum enim adhuc à moribus seculi
impetrare non potuimus, ut, quemad-
modum Animi Ingeniique cultus Sere-
nitati

nitati Tuæ placuit; ita Juventus utrumque capesseret; & vellent omnes publico isto Elegantiarum rore Ingenia imbui, quo Felicitas omnium nutritur. Etenim, cùm ubique terrarum Magnis Doctis que hominibus velox Fama EXERCITATIONES hasce commendasset, & Academiæ nomen etiam PALÆSTRAE beneficio cresceret; domi felices esse honestissimi conatus non potuere. Quicquid feceram, Invidiæ scopolis Malignitas illisit. Tam suaviter etiam nocere aliqui annisi, ut nefas putarent, BONÆ MENTIS nomen LITTERIS concedi:putarent, cum damno institui, quicquid ipsi non invenissent. Satis jam doctus erat, qui PHILOLOGIAM posset contemnere: multumque ingeniosus, qui aut in circulo, aut in convivio rationem Instituti sarcasmate conspuere. Quid amplius? PALÆSTRA, quia Sereni-

renitati Tuæ placuit , hostes inve-
nit . Ita factum , ut qui BONAM M EN-
TEM nescio quibus ludibriis exagita-
rent , proterere dignitatem LITTERA-
RVM non potuerint , nisi & in PRIN-
CIPEM suum peccarent . Sed res om-
nis nova hoc infortunio mactatur ; dif-
ficilis est : originem Livor solet con-
cutere , progressum Calumnia ; nec
quicquam omnium tam bonum un-
quam fuit , quin displiceret malis . Sed
in hac tantâ judiciorum corruptelâ
puræ tamen aliquæ faculæ reluent :
Viri Magni , clari , candidi , & rerum
examen severâ soliti trutinâ castigare .
Nam ut integerrimos invictosque S O-
CIETATIS IESV Athletas , & LITTERA-
RVM Atlantes omittam , qui Discipli-
nas omnes , bono seculi , ad cultum re-
vocarunt ; plures adhuc circumqua-
que Fautores numero , quam Æmu-
los ;

los ; & plures Amicos , quām Obtre-
ctatores . Itaque odium & amorem
eodem Instituto provocavi . atque plus
molestiæ à malis , quām solatii à bonis
fuit , cùm pauci plures vincerent , &
impunè linguæ veneno grassarentur .
Ego , quia reducere Elegantias cona-
tus sum , offendì : quia hoc egi , quod
promereret plausum Posteritatis posset ,
Livoris tela irritavi . Tantum scilicet
fibi sumunt , qui Musarum non ferunt
studia ; qui ut bonis conatibus nebu-
lam objiciant , maligni esse sustinent .
Sed illi quidem cùm perversissimæ
naturæ obsequuntur , hoc maximè
peccant , quòd ignorent , quām inqui-
sunt . Primùm enim , ne floreat A-
cademia , Famam impediunt : qui so-
lo LITTERARVM amore longinquas pe-
tunt terras , arcentur . Deinde nostra
Iuventus si negligit Humanitatis stu-
b dia,

dia , habitare h̄ic magis videtur, quām
discere : magnis instructa scientiis, si
Eloquentiā & Prudentiā careat, fa-
stosa & inutilis est . Paucis : noce-
tur Vrbi, nocetur Academiæ : Rei-
publicæ, & Religionis fructus retarda-
tur. Si recte calculum ponimus, subsi-
dia omnis Doctrinæ, ornamenta omnis
Virtutis, fulcra omnis Vitæ, LITTERÆ
sunt. proscribit hæc omnia, & è medio
tollit, qui LITTERAS. Sed ille, ut omnia
dicam, optimum optimi PRINCIPIS sui
Genium violat . Meum igitur erit,
dissimillimum me præstare iis , à qui-
bus reprehendor: ut sciam, quid Opti-
mo PRINCIPI Pietas subditorum de-
beat; sciam, quo fructu obtrectatio-
nes, non duraturas , concoquam ; &
quām facile spernere impedimenta pos-
sim, Serenitatis Tuæ præsidio muni-
tus. Confido ; nihil molestiæ pote-
runt:

runt: fumum mox flamma dissipabit,
dies noctem , invidiam gloria . Non
cessisse malis , victoriæ auspicium est.
Suave olim erit, in re laudabili habuisse
adversarios ; pulchrum, per tot impe-
dimenta P A L Æ S T R A M crevisse ; glorio-
sum denique , repperisse subfidia ab
ipso , quem omnis admirabitur Poste-
ritas , P R I N C I P E . Pergam igitur Tu-
jussu , & ne inutilis Iuventuti aut A-
cademiæ vixerim, L I T T E R A R V M , B O N A E-
Q Y E M E N T I S agam cauſsam , semel su-
ceptam. D E V S aderit, T v aderis, S. E-
R E N I S S I M E P R I N C E P S , ut quantum pro
Religione & Republicâ generosus hic
spirat animus , viribus exsequar. Ne-
que tam bona vota sinister eventus ex-
cipiet. P A L Æ S T R A M quia esse voluisti,
exordia habuit; quia durare voles,in-
crementa fumet, et

Canescet seclis innumerabilibus.

b 2

Vt

Vt autem omnes sciant , quâ origine
cœperit, quâ stabit perennitate, Sere-
nissimo Nomi Ni Tu o eam Dedica-
mus. Vive O PTIME P RINCEPS, & feli-
citer impera. Te superstite, miseri esse
non possumus: in Te, quicquid spera-
re Belgæ audent, consecuti sunt.

A E T E R N I T A T I T V Æ

Devotus

Erycius Puteanus.

A D

A D

LECTOREM.

DECALÆSTRAM BONAE MENTIS,
quam institui, LECTOR, nunc etiam
produco: si vanam aut inutilem, ut in-
sectari audacter pergant, qui sibi im-
mensum sapiunt; si fructuosam & honestam, desi-
nant maligni esse. Sic iam vivitur, ut peccet, quis-
quis pro Litteris aliquid audet: ego verò nec silere
crimen meum diutius possum, nisi ut accusem; nec
abscondere Institutum, nisi ut ingenia retardem.
Pridem placerem hostibus BONÆ MENTIS, si aut
ignavus essem, aut quam paucissimos erudirem.
Sed in eo verò munere, ut otiali non debeam:
bene etiam mereri de Iuventute non possum, nisi
multorum calumniis industriam exponam. Pul-
chrum verò, strenue agere; impedimentis nequa-
quam frangi. quam nactus fui Spartam, adorna-
re cœpi. Suadæ sororem EXERCITATIONEM
esse omnes sciunt: ad hanc prævi. cum viliis la-
bor fructum dignitatēmque Litterarum, sepeli-
ret, pomparam quasi vi; nec infeliciter conatus cessit:
quantum impetrare studiis meis munericque potuif-
sem, Iuventuti impendi. Sed quid est? infra hu-
manitatem dignationēmque optimi PRINCIPIS ia-
cere aliqui vellent hac studia, ut gloriösè contemne-

b 3 rent;

rent; fastidire magnificè; ut honestè nescirent.
Me à quidem causà ferre possum, & vel non audi-
re, quicquid imperitia garriat atque strepat: at
Inuentutis, non possum. Nimis facile negligit artes,
quas videt infamari; pulchrūmque putat, ignorare,
quæcum dedecore discuntur. Ergo splendore quo-
dam vestienda hac PALÆSTRA erat, & adden-
dus apparatus, ne Litteræ sorderent. In Italia quidem
Illustrissimus & Reverendissimus CARDI-
NALIS BORROMAEVS, ille & vi & hominum
eruditorum Phœbus, suasu quoque meo hanc ho-
noris viam ingressus est; & cum centum Aureo-
rum millia Litteris, Libris, Viris impendisset,
invénit, quod maius & efficacius tantà liberalita-
te haberetur. Tituli & insignia decreta sunt; E-
quites scripti, qui Philologiam promoverent; di-
gnum Numismate aureo pectus habitum, in quo
Musa habitarent. Ite iam, & pompam accusate,
qui sine Litteris Docti estis: aut Litteras promo-
vete, qui pompam non fertis. Quād difficile sit,
squalorem ingeniiorum corrigere, tot hic quoq; mo-
lestiis laboribusq; viri passim doctissimi confessi sunt.
tantum efficere non potuere, ut quod corpori daretur,
animus inveniret: à Scientiis ornamenta secretæ
sunt. Si res dicenda est, placent nonnullis tenebræ,
quia lucem non sustinent; sordes, quia molestiam nitor
habet. Vellent etiam omnes sine labore eruditæ esse;
sine

sine morâ magni. Ut patiar, fatearq; esse quod accu-
sent, EXERCITATIONES sunt, ad quas voco; ET in
PALÆSTRA instituuntur. Aliquid hic quoq; agen-
dum est, ut loqui cum laude incipias, cum fructu sa-
pere. Nemo Romanus veniet, si proficiisci nolit. Iter
ostendere, ductoris opus est; tuum, facere. At certè
totum hoc istud iter quoddam est: ad Eloquentiam,
Prudentiam, Sapientiam, uno verbo, ad BONAM
MENTEM tendis; ut possis Homerico illo uti:

Μύδων τε πητῆρα ἐμμένει, πρυτῆρά τε ἐγγένει.

DIRECTOR ego, et quò eundum, quid faciendum,
doceo. Frustra singula conor dicere: totum comple-
cti Praefatiunculæ Institutum non possum, et in Li-
bro te PALÆSTRAM malo legere, quam in limine.
Ut ames quoque, qui ductu meo profecerunt, hoc te
rogo, LECTOR, et salvare inbeo. Lovanii, xi.
Kalend. Octobr. cl. Icc. xi.

Etiam addo? nam oblitus sum: ut scires, qua-
lem formo Inuentutem, LAUDATIO meanupera
inserta est: sed quia me absente, sine Prafatione.
Benignus esto, ET excusa. multum debebo, si deli-
ctum non meum supplere sine offensa permiseris.

CEN-

C E N S V R A.

HAS PALÆSTRAE BONÆ MENTIS sub
Cl. V. Erycio Puteano Exercitationes,
aptas censeo, quibus promptius adolescent aut
ingenia vegetiora, aut memoria adminiculatior,
aut oratio solertior: ideoque dignas esse, quæ
cum publico juventutis & rei Litterariæ emolu-
mento divulgantur.

*Guilielmus Fabricius Noviomagus, Apo-
stolicus & Archiducalis librorum Censor.*

**Cum Privilegio Serenissimorum Belgicæ P R I N-
C I P V M ad Decennium. 22. Septembris. 1611.**

Signat.

I. Fourdin.

ER YCI P V T E A N I
P A L A E S T R A
B O N A E M E N T I S,

A V C T O R I T A T E

Serenissimorum Belgicæ PRINCIPVM
Lovanii instituta.

I N Q V A

Ad ANIMI INGENIIQUE cultum amoenorem
I V V E N T V S d u c i t u r.

A



ERYCI PVTEANI
ORATIO
AVSPICALIS.
PVBLICE HABITA

In Auditorio Matheos.



Nre novâ insolitâque, AVDITO-
RES, siquid prêter morem aut con-
suetudinem meam hodie faciam,
nemo severiore, opinor, examine
urgebit . Temporis imaginem
consilia humana sumunt: & quoti-
die, quod non fuit, varietas indu-
cit. Mitto continuas cæli aërisque vices, dierum nocti-
umq;: in homine ipso quam multa, & quam brevi tem-
pore Natura mutat ! A flore ad senium cum anni pro-
perant, viuendi quoq; ratio maturescit. Sed & sine vitio
gravior inhorrescit ætas , postquam vigorem & venu-
statem corporis contracta rugarum severitas delevit.
Iam verò in negotiis consiliisq; mortalium, juventam
senectamque unus sæpe dies distinguit. Agere, dicere,
statuere, nunc vetat necessitas, nunc imperat: nec pro-
pterea tamen à constantia recedit officio , qui necessi-
tatem

catem sequitur. Ut enim perenni anfractu, nunc mites
Austri plagas Phœbus luſtrat, nunc in æſtivos transve-
ctus fines, frigida quoq; ſidera accendit; neque lineam
tamen ſuam aut legem deſerit, quâ cœli via ſtrata eſt:
ſic Litterarum & Eloquentiæ Professor, ubicumque
dicit, recedere à munere ſuo non videtur. Ego verò,
etſi pulchrum ſciam loqui quotidie, ubi linguaſ ipsæ
coluntur; tamen è valle, ut ſic appellem, Academiæ,
ſcandere hodie in iſum collem volui, ut auguſtiū di-
cerem: & à more meo recedere, vt novum auguſtūm
oſtenderem eſſe, quod dicturus ſum. Ejusmodi enim
nunc mihi locus eligendus erat, in quo docere poſ-
ſem, ſi quantum modetiæ, tantum rumor i tribuerem.
is locus, qui ſi totam Vrbem Academiāmque non ca-
peret, maximus tamen, aut certè magnus eſſet: in quo
cùm ego loquerer, nemo non audiret; intelligere om-
nes poſſent, Litterarum hactenus languentium ſalu-
tem, ſeculi felicitatem, Posteritatissimæ omnes, ab Ex-
ercitationibus Bonæ Mentiſ pendere. Ut igitur angu-
ſias vitarem, dicere iſtīc volui, ubi quām plurimi ſe-
derent. Alias enim quoties cum querelâ, AUDITORES,
benignitas veſtra fuit! ſine voluptate præſentia! cùm
velut ab exercitu aliquo obſeffum Linguarum atrium
reperirem, & unusquisque etiam non audire mallet,
quām non adesse. Sic extra parietes quoque Auditio-
rium fuit, & quoties ad dicendum procederem, per
densiſſimum agmen quærēndus ſuggeſti locus. Areā
oppletâ, ædibūſque fartis, dubitare poteram, in limi-
ne, an in ſcholâ Shola eſſet. Ingens verò & basilicus
hic locus eſt, &, quod magnitudinem iſam auget,

A 2

frequen-

frequentiâ suâ dignus. Neminem aut vestibulum premet, aut ascensus collidet, aut prothyron cejiciet. Sine custodiâ fores sunt, subsellia porrecta, statio spatioſa ut vires meas novi, majorem voce Scholam ingressus sum. Quid igitur? ostendam præsens Musarum numen esse, nec fatiscere dicentis conatum posse, nobilissimi argumenti fiduciâ fultum. Tanquam solida & compacta quædam navis, per inelusum vastissimis paretibus æquor, perq; tot capitum undas feretur oratio, & à subsultu motum virésque accipiet. Verba ipsa benevolentiae vestræ alis aucta se tollent, & præpete volatu in totum immissa aërem, atque in lacunaria subiecta, sententiarum velut imagines quasdam construent. Atque ego, si quorundam etiam aures animosq; difficiles aut morosos, quod absit, experiar (neque tam felices litteræ, ut omnibus placeant;) columnis, postibus, trabibusque vocem imprimam, ut quid in gratiam Academiæ ac Iuventutis, vel cum quietis meæ damno aggressus sim, boni omnes sciant; ligna & lapides, si opus loquantur. Etenim publicâ utilitate compulsus, cùm omne otium meum juvandis Litterarum studiis consecrassem, vastâ cogitatione priscam aliquam ingeniorum felicitatem complexus sum: & cùm vix ulla pars temporis, sive negotiis, sive studiis vacua esset, quam mihi darem; subtraxi negotiis studiisque, quam juventuti impenderem. Itaque quasi satis occupatus non prodessem, adjungere quietem meam volui: & ne fructum è solo Discipuli auditorio exspectarent, PALÆ STRAM. BONÆ MENTIS institui, in quâ honestorum animi juvenum Eloquen-

tiæ

tiæ & Sapientiæ cultu maturecerent, & è sordibus contemptuq; tandem publicè emerget nomen Litterarum. Negotium profectò arduum ac difficile, sive mores alibi insanientis seculi, sive curva aliquorum iudicia respiciam; qui ut severissimè videantur sape-re, optimam sine flore ac venustate scientiam putant. Satis est, inquiunt, pigmentis remotis & inutili verborum fuco, nudam simplicemq; rerum faciem proferre; & quasi homines aliqui sili, strabi, aut buccones, solo ingenio pulchri sint; ita præstantissimarum disciplinarum pretium nullâ sermonis illuvie retardetur. Sed nos, ut ingens censemus naturæ beneficium, præclaras animi dotes venusto vultu exprime-re: ita perfectissimam rerum cognitionem, quæ in ipso Eloquentiæ ornatu relucet. Quid Litteræ autem facerent, Exercitatione destitutæ? PALÆSTRA opus erat, & Minervæ Mercurijque eruditâ copulâ, ut Mentem Bonam juventus coleret, honestisque ad verum decus stimulis grassaretur. Quid yererer, aut deliberarem amplius? Nemo è bonis, nemo è magnis, nemo è doctis fuit, qui summis laudibus consilium non extolleret: si quis etiam despiceret ausus, & adunco naso suspendere; satis ille affectum suum erga Litteras patefecit. Sed ego, quanto cum honore PRINCIPIS, splendore Patriæ, commodo juventutis Exercitatio-nes designaueram, intelligere cœpi, postquam resili-re ab Instituto non potui. Ergo subeunda hæc alea fuit: difficilis, si meas unius vires expenderem: facilis autem, quia conjungere operam paratus erat, qui aeterno amicitiæ sacramento animum mihi sociavit,

A.3.

Vir-

Vir singulari virtute, doctrinâ, modestiâ præditus, & Græcarum Litterarum Professor, PETRVS CASTELLIVS; Vir Principis, Patriæ, juventutis favore dignus, & quem Mystam Bonæ Mentis, meumque soleo Symmachum appellare. Tali verò auxilio fre-
tus, quodcumque maturâ cogitatione conceperam, primùm Amicis hîc meis, tum & Magnifico Academiacæ Rectori probavi. Cùm verò non unius sermo con-
siliis meis robur adderet, peculiariter Amplissimi &
Litterarum cognitione præstantissimi Viri, CAROLI
MALINÆI, Ærarii Brabantici Præsidis, prudens
me auctoritas animavit. Ergo Amplissimo BAL-
THASARO ROBIANO, Supremo Belgicæ The-
saurario, PALÆSTRÆ institutum commendaui: qui ut
summum munus pari prudentiâ & innocentia ad-
ministrat, doctrinâ ac modestiâ ornat; ita insigniter de
Republîca se meritum existimavit, si Bonam Men-
tem promouisset. Quo affectu litteras colat, juventu-
tem complectatur, hinc conjicite: difficillimo tem-
pore, & in crescente armorum strepitu, Pacis hoc ne-
gotium egit, ad PRINCIPEM retulit, & quasi fun-
damenta satis non essent, etiam ornamenta impetra-
vit; præter Diploma, Numisma aureum, summum ho-
noris insigne. Profuit etiam FRANCISCI KIN-
SCHOTI Clarissimi Iurisconsulti, & Finantiarum
Graphiarii singularis industria & humanitas: cui cùm
tantum debeamus, quantum ne referre quidem pos-
sumus, hanc PALÆSTRA gratiam tribuet, ut intel-
lexisse saltem beneficium videatur. Quia verò Litterarum ipse Genius adfuit, & Serenis. PRINCIPIS au-
ctoritate,

ctoritate, honestissimæ molitiones meæ perrupère difficultatem temporum; vestro quoque favore, Viri gravissimi doctissimi que, fulciri debent; vestrâ, nobilissimi lectissimi que juvenes, diligentia crescere, ne sterili aut inutili operâ exercere ingenia pergam. Dicam igitur, quid illud sit, quod tantâ curâ institui, & quomodo gloriam Vrbis atque Academiæ, fructum studiorum omnium felici segete PALÆSTRA nutriet; quomodo è Bonæ Mentis Contubernio ad Rempublicam & honores facillimo Fortunæ beneficio cultores suos litteræ evehent. Ostendam honestas, utiles, necessarias has Exercitationes esse; quas, ne ipse quiescerem, juventuti præscripsi; & ut per otium & oblectamentum ea proficeret, certo ordine, & lenissimo quodam vinculo Legum complexus sum. Hæc enim jam ratio inventa est, ut suavi nexu scientiis eruditio possit jungi, doctrina Sapientiæ; & , quod difficile hactenus, sine Disciplinarum damno Eloquentia excolatur. Auribus animisque adeste, AUDITORES, & benigno silentii consensu verba mea, quemadmodum soletis, excipite. Ea, juvante Suadæ Genio, proferam, quæ multicere ingenium severitate obducentum possint: & ut in auspicio Mens Bona placeat, liberiori vestigio orationem circumducam. De Litteris enim agitur, & harum defendere caussam non possum, nisi Litteris utar.

Ab ipsa origine statum Academiæ si percurrere libeat, quibus auxiliis creverit adoleveritq;, quâ felicitate floridæ iuventæ robur assumpserit, deniq; quâ iniuria temporum senilem aliquæ squalorem induerit; tam mirum videatur, innovari nihil in re studiorum posse,

posse, quām cœpisse aliquid, quod antea non fuisset. Non statim à fonte flumēn est, non in ipso nascentis diei auspicio & stus; nec in cunis infans loquitur. Ad perfectionem per gradus itur. Florebat vario artium genere Lovaniense Athenæum, & Theologia nondum docebatur: imò docebantur Litteræ, & Collégium Trilingue non erat. iterum jacebat illud, vige-re tamen Litteræ poterant: quemadmodum nunc quoque evilesceret ibidem omnis dignitas, nisi essent, qui docerent. Ego verò, ut ostendam, me aestimare locum, in quo quotidie doceo, separari à Linguarum Sacrario PALÆSTRAM BONÆ MENTIS non sinam, et loqui hoc exemplo ipsa juventus volet, ubi publicè eruditur, exerceri, ubi doctorem conspicit. Sic & à meo Instituto accedet Collegio Trilingui, quod hactenus non fuit; & Bysidianum nomen famam quoq; Bonæ Mentis recipiet. Hoc inculcovide-licet, res humanas vario semper momento librari: *nec quicquam omnium esse, quod possit in primordio sui perfici.* Tot collegia, palatia, ornamenta, paullatim bonorum doctorumq; hominum industriâ & liberalitate, Aca-demiæ adjecta sunt; & tanquam gemmæ per floridam sparsæ vestem, in Grudiorum hoc Lycéo, variæ stu-diorum Palæstræ emicant: quibus si illa nunc BONÆ MENTIS jungatur, non video profectò, quid retar-dare deinceps felicem studiorum omnium messem possit. Capitolium quondam plura delubra & numi-na Romæ habuit: comitésque Deos Iovi sociauit An-tiquitas; quasi ne in terris quidem solus habitare po-tuisset, qui non suâ tantùm in cælo majestate cingeba-tur.

tur. Itaque ut Fidem, Salutem, Concordiam omittam;
Menti quoque fanum structum dicatūmque. Rectè
quidem. Nam Deum quomodo mortales colerent, si
Mentem neglexissent? Sed vos nunc in hac urbe Ca-
pitolum aliquod fingite, & hoc ipsum esse, quod Do-
ctrinæ, Doctorūmque hominum domicilium voca-
mus. Varia numina, varia severiorum scientiarum ar-
tiumque nomina sunt: sed nisi Bonæ Mentis, Suadæq;
familiaritate mitescant, perpetuo horrore & crudeli-
tate obsidentur. Ego etiam, Academiam quoties in-
tuco, rerum naturam cogito, quæ flavas segetes flo-
rum quadam purpurâ distinxit; quæ non in pomia tan-
tummodo alimentum concedit arboribus, sed in or-
natum; & commendare, imò munire fructus gratissi-
mâ foliorum amœnitate voluit. Nobiliores illæ di-
sciplinæ velut segetes sunt, sed Litteratum Gratiis or-
nantur ac rident: fructus sunt, sed eloquii velut præsi-
dio stipantur. Ipsa terræ facies quam vario colore,
quam diversa imagine allubescit! in unâ Cerere, aut
Libero, aut Pomonâ, totam ejus benignitatem capere
non potuimus: silvis vestitur, rivis perluitur, æquore
sternitur, collibus assurgit; & in singulis iterum varie-
tas est. Ergo & Terræ similitudinem Minerva no-
stra admisit: Scholis distinguitur, Collegiis superbit,
Viris claret, Disciplinis floret; & in his discriminis nisi
sit, tantæ famæ dignitas laboret. In quam urbe Sapien-
tia habitat, sine obsecro & Bonam Mentem esse: ubi
Trilingue est, Palæstram vigere. Frustra linguæ, nisi
loquaris: sed loqui Mens ipsa Bona docet, imò sapere.
Non impeditum magnarum vota cogitationum

B

imus,

imus, sed promotum: instrumenta sugggerimus, quibus verum doctrinæ decus paretur; & ornamenta, quibus ambitiosæ cedere prætextæ cogantur. PALAESTRA faciet, ut, si divina placent studia, eminere in numero tuo & manipulo incipias, & gestientem ad laborum præmia ætatem præcurras: si Astræam sequeris, & ducentem ad civiles honores viam, ut certissimo vestigio pervenias: denique, si Æsculapii sacris operari, ut non minus è Litteris subsidium, quam lucrum è morbis colligas. Recensete præstantissimos Theologos, Iurisconsultos, Medicos, & exempla sequimini, quorum nomina suspicitis; ut queri tandem de sterilitate ingeniorum Scholæ desinant, & discen-
tium errorem seculo imprimere. Nam ab omni antiquitate doctissimi habití, qui feliciori, ut sic dicam, auro doctrinæ suæ gemmas inseruerunt; qui partem studiorum elegantias habuere. Frustra, frustra sine Litteris nomen ullum speres: ut Medici negant, *sine nervis quemquam ambulare posse*. Frustra magnæ dotes scientiæ jactes, nisi depromas: frustra faces illuni geras nocte, nisi accendas. Deum loqui, primum Theologi munus est, nisi recedere à nominis dignitate velimus. De iure respondere, & laboranti Astrææ incorruptam vocis operam impendere, Iurisconsultus debet, aut certè à foro & patrocinio omni ad ignobile otium redire. Medicum nisi insignis polumathia instruxerit, Fama simul & Fortuna inter experimenta destituet. Quid? ant tu nescis eundem Apollinem à Musis & Æsculapii familiâ colis? A verborum etiam sive dulcedine, sive susurro medelam esse nemo ignorat. Amplius dicam:
in Lit-

in Litteris suis Amator Bonæ Mentis omnium munia usurpat. De Deo cum Theologo differit : cum Iurisconsulto Iustitiam investigat, Legum arcana explicat: cum Medico morbos & remedia loquitur, & quicquid in humano corpore homo admiratur : denique cum Philosopho Naturæ transscendens fines, cuncta comprehendit. Hoc profectò agit, quod singuli. Sed sacrarum quoties litterarum limina peculiariter subit, & vireta lustrat, videri possit tanquam civis ad familiares delicias admissus . Etenim Philologum agit, quisquis linguarum rituūmque studiosus , divinæ paginæ sensum explicat, & magnorum virorum divino exemplo, sacram illam Antiquitatem illustrat. Proprieto vobis è Græcis Basiliūm, Chrysostomūm, Nazianzenūm; è Latinis Hieronymūm, Palæstræ nostræ tutelarem; tum Ambrosiūm atque Augustinūm, ne omnes recensem: qui primas certè in Scholis obtinent, sed sine historiarum veterum, imò ne fabularum quidem cognitione intelligendi. Nunc verò quid fit? profanam amœnioris eruditionis hanc operam censemus fatui, & ignorare scriptores sacros malumus, quām elegantiā aestimare. imò quid fit? odiſſe in civibus audemus Litteras , quas in adversariis veremur. Ne Religionis quoq; inducias esse censeas, & quietem inertiamq; molliaris, in Scholis templisq; adhuc bellum est, & periculosis pugnatur. Eloquentiæ armis instructa Hæresis, validius in Deum nunc assurgit; & à Litterarum linguarumq; cognitione vim & victoriam colligunt, qui caussæ fiduciâ destituuntur. Sed hæc jam opinio invaserat juvēnum animos, ut summam doctrinæ suæ

putarent, nec scribere posse, nec loqui: quasi bullam
prætextamq; puerilem nemo posuisset, nisi omne simul
studium sermonis. Itaq; discebant pleriq; bonas Litteras, sed ne scirent: & sic adibant Musarum sacraria, ut
desererent. Nimirū, si res dicenda est, satis amaverant,
si odisse iterum possent. Intumescunt verò in primis
studiorum liminibus pueriles animi, & ad forum cu-
riamq; acerba tollentes vota, despicere artes audent, à
quibus ordiuntur. Nimirū facile mehercle tenella & præ-
textata adhuc in doles, si vel minimā ambitionis affletur
aurā, luxuriat: & parentes tamen, vt videātur generoso
quodam voto filiorum studia promovere, onerant. Vn-
de cùm malè ingenium nutritur, ipsum quoq; animum
morborum semina corrumpunt. Fit etiam, ut qui mag-
na spirant, verum ingenii cultum nunquam capiant; &
cùm ex umbrā & luce ad Libertatem Academię trans-
feruntur, putent se ad alia non studia tantum, sed ca-
stra commigrasse. Quòd si modestiē fundamentum di-
sciplina acciperet, & rudis puer nihil esse ipsā virtute
doctrinaq; melius disceret, jam ad solidū laudis decus
se cōponeret, amaret litteras, sine quibus reliquæ artes
non subsistunt: & Scriptores, qui Litteras illustrarunt.
Nunc ab ipsis quoq; doctoribus, error sive vitium ævi
magnificentiam aliquam exigit: nec severâ lege erudi-
ri pueri volunt, quorum antè infantia deliciis domiso-
luta est. Sic verò nisi blādam disciplinam inveniat, qui
eruditur, nisi miti freno ducatur, qui cogire recusat, regu-
lam omnem aspernatur ingenii: nisi talis existat Præ-
ceptor, qualis fuit Pater, luctandum est. At verò in ma-
gno numero aliqui semper, qui melioris sequuntur na-
turæ:

turę ductum, Mentemq; seriis amœnitatibus applicat: illi videlicet, qui ab Amore ipso Litteras aggressi sunt, & in Litteris magnorum virorum, & per tot jam secula loquentium ingenia suspiciunt, nomina colunt, æternitatem venerantur. Florem juventutis nostræ laudo, suavi Litterarum rore imbutam; & meliora illa pectora, in quibus habitare cum ipso rationis auspicio generosus honesti amor cœpit; sed ne migraret. Laudo, inquam, & hoc nunc ago, ut qui sapere supra vulgum destinarunt, promptam & exercitatam ad severiora studia Eloquentiam adferant. Nec video profecto, quam moram eunti ad Academicos honores. PALÆSTRA injiciat, in quâ Mens Bona colitur; nisi exulare hanc ipsam à severitate magnæ scientiæ seculi mores postulent. Nulla vita tam seria, aut negotia tam ardua, aut studia tam sublimia, quæ Litteras non admittant. Proficere in Scholis, & exerceri simul in Palæstrâ juventus poterit: imò verò, ut liberiori sententiâ blanditias amoliar, & invidiæ voces expugnem, exerceri in Palæstrâ juventus debet, ut in Scholis proficiat. Quæ imperitus impedimenta clamat, auxilia sunt: ad magna Litteræ mentem præparant, non occupant. Nemo, ut opinor, in itinere viaticum rejiciat; aut si in rigidi montis verticem, difficili per salebras anfractu scandendum sit, vehi nolit, & conductis equisudoribus erumnam suam redimere: at profecto, si rectè calculum ponis, in studiis iter est, & in arduo ac prærupto Honoris præmia Virtus collacavit. Ut igitur viaticum habeas, Litteræ tibi tractandæ sunt: ut vehiculum aut jumentum invenias, peculio Philologiæ opus. Ego ecce, ut

ad vota sua properent juvenum animi, auxilia suggero: & horas aliquot, quæ honestè etiam perire poterant, PALÆSTRA occupat, otio, lusui, libertati velut manu injectâ. Nihil de studiis; de tempore aliquid detrahitur: quod nisi tam Litteris, quâm otio possit dari, videant obsecro, ne ad vitiorum illecebras generosa impellant ingenia, qui PALÆSTRAM BONÆ MENTIS supervacuam arbitrantur. *Enim* verò, ut spes Academiæ universæ efflorescat, ducentes ad ignaviam occasiones omnes præcidendæ sunt: occupanda juvenus, quæ quoties nihil agit, ad noxia dilabitur: ut stare nemo potest, nisi vigilet, & iners otium rectè somnum voces. At verò quâm facile nihil agit, quisquis otiantur? Ipsum igitur otium succuti & exerceri debet, ut à torpore, & quod sequi solet, à vitio vindicetur. Si amplius investigas, honestissimum otium PALAESTRA BONAE MENTIS faciet: optimæ remissiones, Exercitationes Puteanicæ erunt. Suaviter occupabit otium suum, qui ad BONAM MENTEM se recipiet; negotium autem inveniet laboriosum non esse.

Otio qui nescit uti, plus negotii habet,

Quâm cum est negotium in negotio.

Nam cui, quod agat, institutum est, nullo negotio

Id agit; studet ibi, mentem atq; animum oblectat suum.

Otioso in otio animus nescit quid velit.

Suus igitur erit, quoties operam ac diligentiam majora Academiæ munia exigent: amœnus erit, quoties in Musarum contubernio respirabit. Nemo diem in popinâ sepeliet; honestiorem voluptatem PALÆSTRA propinabit. Nemo vitæ studiorumque subsidia aleâ,

aleâ, aut pilâ, decoquet; frugalitatis exactissimam regulam PALÆSTRA præscribet. Nemo Veneri Lasciviæque mores suos credet; BONÆ MENTIS amorem PALÆSTRA in pectoribus omnium accendet. QVAS PRIVATIM LITTERAS TRACTENT, MORIBVS PUBLICE OSTENDVNTO: BONA MENTE IN IVVENTVTE EMINENTO. SOBRIETATEM, MODESTIAM, HONESTATEM COLVNTO. Demus etiam, non sine impedimento aliquo Theologiæ, Iurisprudentiæ, Medicinæ, Exercitationes Literarum esse, aut institui: an ergo satis robustam censes accusationem, quâ PALÆSTRA subvertatur? Quidquid detrahunt disciplinis aliis mitissimæ Musæ, iisdem addant. In convivio omni non cibi tantum, sed & pocula sunt: non sine siti fames venit. edendum est, ut suaviter bibas; bibendum est, ut possis edere. vices istæ voluptatis instaurant regnum, ac restituunt: & idem tamen venter Cererem Bacchumque capit. Nemo deferculis partem sibi periisse conquestus, si ciathum exhauserit. hæc subsidia hilaritatis sunt. nemo Litteris doctrinam impediri; instrumenta sunt, & in partem igitur temporis admittenda. Omnia ore confirmatum est, frustra addisci artes, nisi exerceas: sed Eloquentia, ut artibus omnibus sufficiat, peculiarem etiam usum poscit. Non quicunque docentis mulso aures implet, mox facundus est: expedire linguam ipse debet, & maturum animi sensum elaborato verborum includere ambitu, ut inter Suadæ alumnos nomen suum profiteantur. Ut scias quâm difficile sit loqui; hoc ante omnia agimus, & in crepusculo rationis morimur. Nondum pedem puer figit, aut vestigia premit,

& yo-

& voces rudi conatu concitat. Vix ostendit natura hominem, cùm frangere infantiam incipit: sed ne sic quidem, cùm ingenium maturuit, sermo adultus est. Totam ætatem profectò, nisi exerceas, balbuties occupat; & nisi loqui puer orsus sit, etiam in senectute infans erit. Totum hoc tamen, quod dico, Eloquentiæ duntaxat rudimentum, & velut limen est: arte & exercitatione opus, ut pervadas, ac tandem disertus sis. Sed quos limites sollertia humani patitur ingenii? Postquam primum sive naturæ, sive industriæ miraculum eviluit, scribere, tentavit quisque etiam sine voce loqui. Linguae orisque vices ad manum translatæ sunt, & sermonis picturam niveum papyri æquor excepit. Parum erat, indicium animi ministerio formare vocis, nisi & absentes posterique audirent. Prorsus imperfectum linguae ingenium mortales censuerunt, nisi & calami usus accederet. Quàm verò id arduum, loqui, etiam cùm non loqueris; imò quàm laboriosum, nisi longâ exercitatione scriptionis ager subactus sit, is judicet, qui æternitatis agere negotium consuevit. Stilus profectò nisi manum exarantis quotidie lassaverit, tabellamque litterarum impleverit sulcis, enitescere non potest. Scribendum est, ut scribas: & jugi exercitatione opus, ut fructum ingenii colligas. Ab agro nemo exspectat semina, sed exigit: minimum est quod seris. Sic arborem plantare satis non est: rigare debes, putare debes, & pertinaci cultu quidquid sperras urgere. Hæc quoque docentis conditio est: in Scholis si dictet strenuè, aut dicat, promittit tantum, quid præstare debeat. seorsim aut privatim quisque prodest.

prodest. Bene est. invitant me industriæ circumquaque exempla, ne ignavus sim; & cùm vos intueor, Viri eximii clarissimique, ad Exercitationes accendor. Sic igitur, paucorum neglectis judiciis, illud usurpare audacter pergam, quod faciunt omnes, qui juventutem amant: & hoc agam, ut quàm maximè proficiant, qui æstimare otium suum incœperunt. Sanè, ne frustra ego doceam, alii audiant: tanti quisque humanitatis studia faciet, ut digna exercitatione videantur. Quo in munere verter, & quantum vobis debeam, Generosi juvenes, perpendam potius, quàm quid fieri aliqui nollent. Debeo, ut cum elegantia doceti sitis; & hoc ipsum aliqui nolunt. Quis affectus animos concitet? placere aliquibus non potui, postquam corrigere defectum aliquem Philologiæ cœpi; & vel ideo jam PVTEANVS peccat, quia in litteris juventus proficit: proficit autem, quia exeretur. Non jactabo ingenii mei vires. industriâ aliquâ si superavi quos securus sum, memoriæ beneficium à Posteris exspectabo. Diatribas suas alii habuerint: Palestræ fane exemplum à nemine accepi. & ut LIPSIVM divinæ mentis virum excipiam, quis ab Academiâ conditâ tam liberaliter Musarum sacra explicuit, ut publico vocis magisterio, Palestricas *Dissertationes*, *Recitationes*, *Lectiones*, *Disputationes* adjiceret? aut quis tam generosè formavit juventutis indolem, ut cùm manum, etiam otium suum, neglectâ utilitate privatâ, impenderet? Docere mehercle multis facilius fuit, quàm *Dirigere*. Alii quoque Litteras in Academiâ discere, turpe arbitrii ne excolerent, quas didicerant; ac tan-

C dem

dem ut contemnerent, quas ignorarent. Dicamus etiam, fuisse Exercitationes Eloquentiæ; fuisse, qui elegantiarum illam Spartam exornârint: Palestra tamen æquè ignota fuit, ac non intelligent, qui nollent institutam. Ad nomen provoco: BONÆ MENTIS indigavi, & quod in homine summum est, colendum proposui; ut Virtutis instrumenta Litteræ fierent, & Virtus Litterarum. Mores docemus, cùm eloquentiam, atque è veteri instituto universam eruditione sapientiam occupamus. Etenim Oratorem prisca illa severitas virum esse bonum, dicendi peritum definivit, & quasi eloqui satis non esset, etiam animum, & compositæ officia vitæ exegit. Poëta talem omnino proposuit, qui sapienti facundiâ seditionis aliquam flammam compesceret.

Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem,

Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.

Ille regit dictis animos & pectora mulcer.

Vir pietate gravis ac meritis, vir ille bonus est ac sapiens; sed qui regit mulcetque dictis, dicendi peritus est. Nec frustra apud Satiricum Rhetor Eloquentiæ arcana traditurus, Adolescens, inquit, quoniam sermonem babes non publici saporis, & quod rarissimum est, amas Bonam Mentem, non fraudabo te arte secretâ. Eloquentiæ legibus honestæ omnes artes obnoxiae sunt; nec Literis excellere quisquam potest, nisi odiſſe vitia incœperit. Frustra felicissimæ spei surculum vitiōso truncō inseveris: Difficili nimis vestigio iter carpit, qui sub onere destinavit proficisci. Ingenii autem sarcina

næ

næ via sunt, & euntem ad Musarum voluptates impediunt. Liber & expeditus ille, qui pravas cupidines omnes projecit: qui semel statuit, à multorum exemplo recedendum esse; nihilque in omni doctrinâ putat solidi, quod virtute non stipetur. Sic enim Antiquitas tradidit, *Rem pulcherrimam, eruditionem, cum vitiis mentis non posse misceri.* Vítæ igitur, morumque fordes qui cumque expurgaverit, facile bonarum artium limen inveniet; cùm citius etiam insepultorum manus severus Cocytii portitor cymbâ exceperit, quām improbum ingenium Minervæ favor complectatur. Sed Rhetorem nostrum audiamus, qui divino planè ore sententiam hanc extendit: *Ne studio quidem operis pulcherrimi vacare Mens, nisi omnibus vitiis libera, potest: primum, quod in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium; Et cogitare optima simul ac deterrima, non magis sit unius animi, quam eiusdem hominis, bonum esse ac malum. tum illâ quoque ex caussâ, quod mentem tantæ rei intentam, vacare omnibus aliis, etiam culpâ parentibus curis oportet.* Ita demum enim libera ac tota, nullâ distingente atque alio ducente caussâ, spectabit id solum ad quod accingitur. *Quod si agrorum nimia cura, Et solicitior rei familiaris diligentia, Et venandi voluptas, Et datispectaculis dies, multum studiis auferunt (huic enim rei perit tempus quocunque alteri datur) quid putamus facturas, cupiditatem, avaritiam, invidiam,*

lib. XII.

cap. I.

C 2 qua-

quarum impotentiſimæ cogitationes ſomnos etiam
ipſos, & illa per quietem viſa perturbant? Nihil
eſt enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac
tam variis affectibus conciſum atque laceratum,
quam mala Mens. Nam & cum insidiatur, ſpe,
curis, labore diſtringoit; & iam cum ſceleris com-
pos fuerit, ſollicitudine, pœnitentiā, pœnarum om-
nium exſpectatione torquetur. Quis inter hac lit-
teris, aut ulli bona arti locus? non hercle magis
quam frugibus in terrâ ſentibus ac rubis occupatā.
Quid igitur eſt? MENS BONA ad animi pariter inge-
niique cultum refertur, & noxia, imò tarda omnis
eruditio, niſi mores conſpirent; ut nulla eloquentia,
niſi virtus ſocietur. Imò MENS BONA, ipſa Minerva
eſt, & è capite Iovis nata. Minervæ nomen ſi ad stu-
dia referam, an quis reprehendet? Iam verò PA-
LAESTRA Exercitationem animi ingeniique comprehen-
dit. IN PALAESTRA BONAE MENTIS ANIMI INGE-
NIQ. CVLTVS Eſto. id eſt Doctrinæ ac Virtutis, So-
phiæ ac Suadæ. Græcorum consuetudinem exprime-
re Lege volui, & in mores noſtros transferre. Græ-
corum inquam, qui eſi Palæſtras, ſedes, porticus,
corporis cauſā invenerint ſtruxerintque; tamen, ut
exercentur & delectarentur nobiliūs, eundem Rhei-
toricæ ac Sapientiæ eſſe locum voluerunt. Verbis
^{lib. v.}
^{eap. XI.} meis facilem Vitruvius fidem facit, Palæſtrarum
edificationem explicans: *Nunc mihi videtur, inquit,*
tametsi non ſint Italica consuetudinis, Palæſtrarum
edificationes, tradere explicatè, & quemadmodum

apud

apud Gracos constituantur, monstrare. Constituantur autem in tribus porticibus exedra spatijs, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rethores, reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint. Dignam verò etiam Ciceronis testimonio antiquitatem istam censeo, qui ut Oratorem suum formaret, loco Palestræ ac nomine usus est: Num tandem, inquit, locus hic non idoneus videtur, in quo porticus hac ipsa, ubi ambulamus, & Palaestra, & tot locis sessiones, Gymnasiorum & Gracarum Disputationum memoriam quodammodo commovent?

An & reliqua adjicio? imò potius excerpto. Primum Palastram, sedes, & porticus, etiam ipsos Gracos exercitationis & delectationis causâ, non Disputationis, invenisse arbitror. Nam & seculis multis antè Gymnasia inventa sunt, quam in his garris Philosophi cœperunt; & hoc ipso tempore, cum omnia Gymnasia Philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire, quam Philosophum malunt: qui simul ut increpuit, in mediâ oratione, de maximis rebus & gravissimis disputantem Philosophum, omnes unctio[n]is causâ relinquent. ita levissimam delectationem gravissima, ut ipsi ferunt, utilitati anteponunt. De Gymnasiis mehercle novum hodie non est: & quidni igitur eodem ac pari in Scholam jure nomen PALAESTRAE migret? Eiusdem uti auctoritate Ciceronis possum, ad Atticum: His temporibus tam dubia vita optimi cuiusque,

Lib. II.
De Oran-
tore.

Libr. II.
Epist. IV.

magni aestimo unius aetatis fructum PALAESTRAE PALATINAE. Græcanicum ecce institutum, etiam Romanum facit, & Orbi Latino imitandum proponit. Quinimò in Oratore suo *Nitidum quoddam genus verborum & latum*, sed Palæstræ magis *& olei*, quam huius civilis turbae ac fori, distinguit. Sermonis Deum, Mercurium esse, fabulosa eruditio voluit: sic & Palæstram ejus filiam, quia ab eodem inventam. Reddat gratiam inventori suo, pietatem parenti; & ab Athletis ad Suadæ A-lumnos redeat, Mercuriique Mytas. Ostendam ego utilius jucundiisque animum litteris, quam corpus luctâ exerceri: alienis laboribus meos jungam, & in PALAESTRA BONAE MENTIS sudare paratus sum, ut apta Reipubl. grata Principi, Iuventus exsurgat Belgica, & ut aliquo etiam incremento Nobilissime Academæ fama producatur. Vbicunque terrarum vel levem eruditio-nis umbram mitior barbaries reliquit, instaurari pri-dem amor ingenii cœpit: sed ab hac felicitate per-tinax belli calamitas Lovanium nuper removit. Vi-xit potius quam viguit inclytum Athenæi nomen: & quemadmodum in morbo aliquo fieri videmus, corpus sine flore ac venustate fuit. an aliud extor-quere à fato suo Belgica potuit? Nunc vires aliquæ redierunt, & prisca dignitas eas iterum artes com-plexa est, sine quibus esse Academia non potest. Sed novem Iovis filiæ, quasi majori temporum squa-lore involutæ, induere pristinæ dignitatis ornamen-ta non potuere, aversum quibus ævum pellicerent. Ergo florent studia, ad quæ concurrunt indigenæ tantum aut finitimi: studia, quæ in suis quæque finibus

finibus gens inveniat. Sed quid est? non nostrâ tantum, sed alienâ quoque florere juventute Lovaniū debet: non Belgas tantum, sed orbem universum erudire. In Scholis nostris, nisi Gallus, Germanus, Sarmata, Iberus, Italus sedeat, adhuc solitudo erit; nisi discant quidquid usquam est hominum, tueri nomen suum Academia non potest. Fulgens illud Rectoris Magnifici sceptrum, & purpureum insigne, reliquāmq; pomparam quanti censes? non hæc unius provinciæ aut populi majestas est: stipari universâ Europâ debet, ut in unâ & Academicâ purpûrâ summum Pontificem, Cæsarem, Regem, Principem revereare. Adsit è toto orbe juventus, & splendorem suum Schola inveniet: æstimentur bonæ Litteræ, nemo non concurret. Etenim hoc studiorum genere nobilissimi quique eliciuntur; & peregrinari solent, quos aut generis splendor, aut honesta sciendi cupiditas excitat. Lucri doctrinam ibi ferè quisq; discit, ubi & præmia exspectat: sed cum supra fortunam se indolis nobilitas erexit, etiam in extremis, & sejunctis mari terris BONAM MENTEM queret. Iam virorum Principum filii Litterarum has elegantias investigant, ut Eloquentiam Historiamque discant, & amœnâ eruditione viam sibi ad Ethicæ Politicæque templa aperiant. Hinc Christianæ totius Nobilitatis vestigiis Italia premitur, Gallia pererratur; quasi priscæ eruditioñis aliquæ utrobiq; reliquiæ sint, & in ipsis rudibus ac monumentis imago saltem spiret sanguinis decorisque Romani. Quid dicam? in ipsâ hac urbe Galliam, hisce mœnibus, velut Alpibus cinctam Italiam habebimus, si PALÆSTRAM: Litteræ florent,

& Roma h̄c erit: eruditio vigeat, & ad veterem illam frequentiam civitas resurget. H̄c instituti mei ratio est, ut exercere Iuventutem non possim, nisi de urbe & Academiâ bene merear: nec promovere Eloquentiam, nisi ut discentium numerus augeatur. Novum ac vicinum Batavorum Athenæum quid tantopere auxit ornavitque? Illices hæ Litteræ: quæ insigniter enectæ, à novo nunc Atlante, DANIELE HEINSIO, sustentantur. Sed & Mediolanum, urbs maxima, toties ruinis suis aucta, nunc tandem ad felicitatis fastigium uno Musarum domicilio surrexit, postquam in Litteris Illustrissimus ac Reverendissimus Cardinalis FREDERICVS BORROMAEVS invenit, quod maximæ urbis gloriæ posset addi. O Litterarum, non ædificium dicam, sed miraculum! quod Orbis totius, & Antiquitatis thesauri videntur adornare. O Virum, seculi non ornamentum dicam, sed numen! à quo tantum exspectare beneficium æternitas ingeniiorum potuit. Sed nos si optimi Antistitis vestigia sequimur, quid n̄ & profectum aliquem speremus? Aliquis h̄c quoque BORROMAEVS erit: aliquis Patrocinium Palæstræ suscipiet: & cùm primū pubescentibus adhuc alis se BONÆ MENTIS Fama tollet, ingeniorumque auspicia quædam explicabit; nescire Litteras nemo volet, ignorare Lovanium nemo poterit; & huc tandem velut ad portum se recipient Litterarum amatores, qui tempestate quadam seculi ubique ferè jactantur. Alios quoque spes boni vieturq; nominis trahet, cùm pulchrum putabunt, in BONÆ MENTIS Gymnasio, tanquam

quam in theatro versari, & à doctis omnibus consipi-
ci. Nam sive linguae facundo conatu volet innotesce-
re; publicus dicendi campus apertus erit: sive stili;
pangere poterit, quod exacto quoque Solis curriculo
edatur. In hunc quippe finem secundâ mensis cuius-
que hebdomade Recitationes institutæ, ut & illæ, si
tamen dignæ inveniantur multorum oculis, Famæ
quotannis mantissam constituant. Et quantam, Bone
Deus, è laudabili hac scribendi consuetudine lucem
juventus colliget! Studiorum specimina producent
Discipuli; sed nomen Doctores simul omnes invenient.
Mirabuntur profectò exteri, non minùs immortalita-
tis, quam eruditionis hîc negotium geri: nec tam pro-
lixam Scholæ felicitatem intelligent, in quâ qui di-
scunt, etiam Famam non vano stili tirocinio audent
provocare. Tanquam ^{ταυταδιδομίαν} omnes instituant,
Promethei quandam facem per vices accipient, & lu-
cebunt. Sed egregio præibunt exemplo Honorarij, in
hunc quoque numerum, distincto ordine, partim scri-
pti, partim adscribendi; homines stilo industriaque
prompti: & florebit BONAE MENTIS hoc agmen, etiam
ijs, qui non aderunt. Rempublicam aliquam censem
hanc PALAESTRAM; sed Litterariam. Extra mœnia, at-
que toto adeò terrarum orbe quærendi cives, ut po-
tentiam augeas. qui nasci non potuerunt liberi, solent
adoptari. Æstimabimus ingenia, etiam quæ non feci-
mus; quid moliamur, absentium & adscriptorum vir-
tus, eruditio, mores indicabunt. Paratus profectò non
unus, dare nomen, ut extendat quoque; immittere lu-
men, ut recipiat; ibi promere ingenii sui censum, ubi

D

pre-

preium exspectat. Sed Sereniss. favor PRINCIPIS mox frequentiam faciet; ut Phœbus diem: & tali lumine felices se putabunt, quicumque litteras tractant. Signa igitur BONAE MENTIS nemo non sequetur: scribet mittetque quotannis quod è PALÆSTRA prodeat; & Sollem adorabit, ut diem mereatur. Sic ubi nec erit PALÆSTRA, nominabitur; & erit tamen, ubicumque terrarum doctis facem pectoribus inclyti Patrocinii æternitas subjiciet. Quid etiam? Visent quandoque hanc BONAE MENTIS arcem tam strenui bellatores, hanc tironum cohortem, illi emeriti; & ut quam optimè militiæ nostræ consulant, præstantissimos undequaque submittent juvenum, qui exerceantur. Ab isto flore celebritas pendet Academiæ: & ut à fœcundâ segete laudare agrum solemus; ita Lovanium extollent exteri, ubi pari unumquemque gradu proficere in optimis animadventent artibus, & simul inclarescere. Fallor, an in his subselliis jam sedent, qui, nisi PALÆSTRA esset, Lovanium fortassis nunquam cogitassent? Multorum sanè adventum velox Fama prænuntiat; & mox aderunt, qui partem putabunt cruditionis, in hac urbe didicisse. Parate hospitia cives, instruite domos, & alibi ruinas instaurate: contubernia vestra PALÆSTRA BONAE MENTIS implebit. Conspexitis quandoque, & aluistis meliorem orbis juventutem, Minervæ velut exercitum aliquem; & quam multæ alibi urbes non caperent frequentiam, hæ Scholæ capiebant. Numerate florentis primæ Academiæ populum, provinciarum omnium florem; xiv. imò xv. millia invenietis. Belli furor dissipat.

dissipavit tam nobile & copiosum agmen, cùm Litteræ omnes fugerent: sed si quies faveat, & Musarum iterum amoënitatem severiores artes induant, novo concursu multitudo coalescet. Rerum humanarum istæ vices sunt: nec Fortunam novit, qui vel in adversis constantem arbitratur. Pro suo quisque munere Vrbem & Academiam cogitabit: ego, ut honestissimo exemplo exteram juventutem excitem; nostram, ut dixi, aptam Reipub. gratamq; Principi conabor reddere. Iis potissimum studijs togæ sagique fulciri decus, quibus Humanitas nomen dedit, illustria tot Romanorum Græcorumque exempla docuerunt: sed an scienda hæc ipsa, si Litteras nescias? Nondum ab omni Antiquitate mores seculi recesserunt: nec tam beati mortales nascimur, ut carere illustrium rerum & ingeniorum memoriâ debeamus. Si naturam interrogas, nunc etiam homines sunt, quibuscum vivis: si rationem, nunc etiam cives, quibus cum agis: At INTER HOMINES, INTER CIVES EMINERE, PALAESTRA BONAE MENTIS docet. animum suggerit, quo explere virtutis munia audeas; tum ingenium, quo eruditionem, eloquentiam, sapientiam capessas; tibi, ac Reipublicæ utilis sis. Quippe hæc veri hominis civisque officia sunt, ut quæ factu optima, loqui ac præcipere; quæ dictu pulcherrima, facere pari promptitudine possimus. Et quàm multa in communi vita usu sunt, quæ sine Litterarum cognitione non habentur! quàm multa in Litteris, quorum pulcherrimum usum à solâ Exercitatione speres! Minuta despicio, ne infra indolem suam nobilissima hæc juventus occupetur.

D. 2

Quæ

Quæ Principis dignitatem vicino tangunt gradu, si insinuem saltem, laudem apud magnos PALAESTRA hæc inveniat. Itaque tutissimam gubernandi formam prudenti sermone quis aperiet, nisi regum & populorum Historia dicentis consilium instruxerit? Quis in seditione aliquâ repentinâ ad concordiam civium militumq; animos reducat, nisi efficaci exemplorum præsidio fulta oratio, fluctibus illis concitatæ multitudinis se audebit committere? Quis Principis sui personam decoro satis habitu Legatus repreſentet, nisi cultâ ac nitidâ Suadè pompâ mandata vesterit? Etiam epistolarum accurato nexu maximarum rerum dignitas constat: & in hunc præcipue maximi solent honores confluere, qui stilo quam felicissimè utitur: qui in aulâ agit, quod in Academiâ tanquam puerile imperitissimi aliqui fastidiunt. PALAESTRA certè non pendam censabit operam, etiam quæ epistolæ impeditur, cum & continuum stili commercium cunctis præscribat. COMMERCIVM EPISTOLARE INSTITVNTO. Audesne scire, qui cum maximo fructu eruditus sis? promptum ad omne argumentum scriptionis compara obsequium; & hoc age, ut intelligi possis, cum nō audiris: ut venustè transmittas secreta animi, & sermonem etiam sine voce formes. Præcipius hodie Eloquentiæ usus ad epistolam traductus est: & hæc ferè una, quidquid publicè privatimque geritur, gubernat. Pacis arma, & militiæ consilium si quis Stylum vocet, necessitatem expresserit. Vnde si forum ingressus fueris, & tribunalia excusseris; si Curiam & Senatum lustrayeris; putas hoc unum utrobius negotium

tuum

rium esse , scribere. In castris verò non gladio omnes, etiam calamo plerique accincti sunt. Milites hīc Sua-
da, imò Epistola suos habet. Neque enim is solus pu-
gnat , qui in acie stat , & cornū dexterum lèvūmque
defendit ; sed & qui Duci assistit , qui mandata eius
scribit , qui consilia novit , & à Secretis est. Nimi-
rum & hæ vigiliæ quædam sunt , & in ipso prætorio
stationes : belli ministeria , sed incruenta ; & sic ta-
men stipendiorum honore & emolumento digna. De
Advocatis , quid olim ab Imperatoribus constitu-
tum , meministis : *non minùs pro vident humano generi , quām si præliis atque vulneribus patriam parentésque servarent.* Cod. de Advocatis diuersi in dictum.

Caussam , vicinis depromptam verbis , adjicio : Nec
enim solos nostro imperio militare credimus illos , qui gladiis ,
clipeis , thoracibus nituntur ; sed qui gloriose vocis confisi mu-
nimine , laborantium spem , vitam , & posteros defendunt. Ut
igitur in ipso foro nomen & imago militiae est : sic in
ipsis castris togati pugnant , stilo velut telo instructi.
Neque enim corpora hīc feriuntur hostium , sed
consilia ; & fiunt ea , quæ faventem rebus Fortunam
conciliant. Monentur socii , evocantur præsidia ,
paratur commeatus : unius Epistolæ beneficio sum-
mus Imperator belli ubique præsens est. quod tanti
olim Cæsar fecit , ut cùm scriberet ipse , etiam otia-
ri sibi visus sit , nisi plurium simul manus dictando
occupasset. Longum existimo per omnia Reipubl.
ire munia , & ut PALÆSTRAM commendem , Littera-
rum utilitatem persequi : præmia malo ; quæ parata
sunt , si quis amare BONAM MENTEM inceperit. Et
enim quod longâ alibi laborum temporisq; periodo

quæri solet, ut PRINCIPI PATRIÆQ. placeas, h̄ic citra
tēdium invenies; & tanquam ne vota quidem ulla
Fortuna exspectet, in limine & vestibulo honestis-
simarum Exercitationum benignitatem suam expro-
met. Non torquebo per ambages animosam verbo-
rum fiduciam; quam toties nomino PALAESTRAM, lu-
culento stabilire Diplomate Serenissimus noster PRIN-
CEPS voluit; & ut omnia BONAE MENTIS Amatori-
bus promitteret, Imaginem quoque suam dedit.
Agnoscite sacratissimum vultum, & strenuè hanc
Spartam ornate, in quâ non minùs ipse PRINCEPS,
quàm Litteræ coluntur. Illius benevolentiam, harum
fructum æstimate, & ab hoc auro discite, etiam in
BONAE MENTIS domicilio divitias habitare. Arbitro
quidem insigne destinatum est, honor omnibus; ut
Virtutum perfectissimum exemplar unus aliquis o-
stenderet, omnes intuerentur; unus gereret, omnes
possiderent. Et quos non stimulos animo cujusque
imprimat perpetuum hoc honoris pignus? Liberè
dicam: Principem ipsum si quis despiciat, negligere
aut irridere optimarum deinceps Litterarum studia
poterit: ignaviæ aut inertiae si quis animum devovit,
tutissimum ingeniorum asylum subsannare. Eia agè,
da nomen, quisquis generosam alis indolem; sume
scitum, suspende Symbolum, ut emineas: & tu Arbi-
ter esse poteris, si in BONAE MENTIS isto pulvere su-
dabis: insignire auri fulgore pectus tuum, si priùs
bonis artibus festinas. Hoc etiam certissimo polli-
ceri vaticinio possum, magnum te quandoque in Re-
publ. fore, si in PALAESTRA fueris; aptum negotiis,
si Litte-

si Litteras excolueris: cùm & in Palæstrâ, velut umbrâ Rempubl. & in Litteris negotia, tanquam in Ethicæ Politicæque officinâ tractemus. Bonos formamus Patriæ cives, Principi subditos: & bonos censemus, qui doctrinâ & prudentiâ fiunt; qui magnæ Virtutis instrumenta Exercitationes Palæstricas habent. Ut enim picturæ pretium, non colores, sed imagines faciunt, & felicitas artis: ita Litteras, nisi ad vitæ morumque ornamenta referantur, frigidè æstimamus. Porrò quid non à PRINCIPE tuo speres, cui priusquam innotuisti, placere incipis? Amplectitur omnes, quotquot meliore ducti instinctu se PALAESTRAE consecrarunt, quotquot consecrabunt. Et ut intelligas quæ promittat præmia, jam studia tua æstimat: imò ut intelligas, quibus promereri Fortunam artibus possis, ad BONAM ipse MENTEM adhortatur. Quærit videlicet è totâ istâ juventute viros, quibus faveat; & jam exspectat, quos læto benignitatis suæ affectu circumfundat. O magnum igitur Litterarum beneficium, quæ facilem Principis dignationem impetrant; & eò ducunt, quò per longissimas solet ambages iri! Quotus non quisque aut magnatum terit limina, ut viam votis aperiat? aut favores emendicat, uti commendetur? aut amicitias emit, ne repulsam petitio patiatur? Has molestias anfractusque homines amusi subeunt, & tamen magnæ doctrinæ opinione fulti. Qui seriis amœnitatisbus pectus imbuunt, rectam ad Principem, honoresque publicos semitam insistunt. Odiosa periodus, & fugienda, quoties compendium offertur: compendium

dium Litterę faciunt. & quemadmodum puriorē fonte quam ē rivo aqua bibitur, quam fundus atque ripę hūtulant: sic luculentissimum favoris auxilium ab ipso omnisdignitatis capite promanat. Itaq; sudat in constulta multorum aviditas, ut quō pervenire recto vitæ studiorūmq; itinere non possunt, obliquo tramite penetrant: obtinuisse honores divitiásque satis est; & ut malis artibus plures decipient, à summo ordinuntur. Quantum seculi mores possint, in PRINCIPĒ audent experiri. Sed neque hoc tamen improbitatis auspiciū est: cùm à Numinis contemptu conscientia occalluit, fas putant, quidquid impunitum est. In isto verò animi tumultu, tranquillitatem homines mali, & innocentiam, quantum licet, mentiuntur: magni scilicet beatique, si populo imponant; si despicerē possint, à quibus aestimantur. Sed quid fit? cùm in ridenti fortunā positi sunt, hoc tamen assēqui non possunt, ut peccati vindicent: cùm in multos imperium habent, sibi tamen servi sunt, quia felicitatis rorem, quo nutriti præstantissima virtutis solent semina, in fomentum vertunt vanitatis. Etenim quemadmodum aurei Solis radii densum Aethiopis colorem non mutant, sed ostendunt; in nivem autem immissi admirabili candore feriunt oculos: ita pravum ingenium, & omni Litterarum cultu destitutum, emendare nullus honor potest; rectum candidumque omni Virtutis & Sapientiae succo imbuit. Vos alloquor, alectissima & nobilissima juventus: vos adhortor & rogo, ut boni esse malitis quam magni; ut ea ametis studia, quæ bonos faciunt: hanc PA-

LÆSTRAM,

LAESTRAM, in quâ Litteras exercere nemo poterit, nisi ut Virtutem discat; nec Virtutem discere, nisi ut PRINCIPI suo placeat. Laboribus ego præmium, voluptatem statuo: ille ornamenta adjicet, prætextam alibi, trabeam, latumque clavum donabit; & ut compendio absolvam, eminere in Repub. te volet, si exercitatus accesseris; amare volet, si Litteras colueris; complecti volet, si pectus præbueris. Sed quid sermonem ego ultrà neco, ubi PRINCEPS loquitur? quid verba ego paro, ubi ille promissa? quid stimulos ego, ubi ille honores? Audite vocem: sic ad BONAM MENTEM hortatur, qui docere eam exemplis suo potest: sic Litteras & eloquentiam commendat, qui tantum in iisdem profecit, ut intelligat se florarentem rerum statum habere sine Litteris & eloquentia non posse. Recitare incipio: vos Diploma expendite, & blandâ maiestatis aurâ desideria acuite; ut, si quis honoris aculeus honestam stimulet indolem, tanti jam à vobis benignitas fiat PRINCIPIS, quanti ille Litterarum dignitatem fecit.

ALBERTVS & ELISABETHA CLARA
EVGENIA, Hispaniarum Infans, Dei gratiâ Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantia, Limburgi, Luxemburgi, & Geldriæ; Comites Habsburgi, Flandriæ, Artesiq, Burgundiæ, Tirolis, Palatini, & Hannoniae, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, & Zutphaniæ; Marchiones Sacri Imperii Romani, Domini
E Frisia,

Frisiæ, Salinarum, Mechliniæ, Civitatum, oppidorum & territorii Trajecti, Transisulaniæ, & Groningæ, Omnibus & singulis has Litteras inspecturis, salutem. Cùm Erycius Puteanus, subditus & Professor Litterarum & Eloquentiæ, noster fidelis, nobis exposuisset, se præter publicum docendi munus, quo in Vniversitate oppidi nostri Lovaniensis fungitur, novam & ab omnibus hactenus desideratam BONÆ MENTIS PALÆSTRAM instituere & aperire constituisse; ut in eâ studiosi juvenes, & dictæ Vniversitatis nostræ Lovaniensis membra, Eloquentiæ regulam, Prudentiæ normam, Et hicæ Politicæque rationem, omnemque adeò solidioris doctrinæ usum meditarentur; his præclaris ejus conatibus, & de Nobis, Patriâ, Litterisque bene merendi studio, singulari modo favendum existimavimus. Quamobrem hoc institutum approbantes, prædicto Erycio Puteano facultatem dedimus & concessimus, damus & concedimus, juventutem ad hanc PALÆSTRAM congregandi, exercitia ordinandi, studiosorum conventus jndicendi, Leges & statuta conscribendi, Patronum sive Protectorem PALÆSTRÆ eligendi, penes quem, ejusque heredes ac posteros hujusmodi patrocinium sive prote-

protectio permaneat ; domum præterea & necessaria subsidia eidem PALÆSTRÆ acquirendi, contrario statuto aut sanctione qualibet non obstante ; atque universa rite faciendi , quæcumque ad BONAM MENTEM , & honestarum artium studia & incrementa conducere judicaverit. Futurum enim arbitramur , ut hac ratione optimis ingeniis non vulgaria doctrinæ ac virtutis ornamenta accessura sint , quibus & resplendere quandoque Provinciæ nostræ possint ; cùm sine bonarum Litterarum atque eloquentiæ adminiculis & ornamentis , infirmæ nudæque disciplinæ graviores omnes esse videantur. Insuper PALÆSTRÆ huic BONÆ MENTIS munus honorarium , nummum videlicet aureum , effigie nostrâ conspicuum donavimus , quem Arbiter dictæ PALÆSTRÆ , sive primus , tanquam officii sui semestris insigne gestabit , & ab eo deinceps successores de manu in manum accipient. Quò autem alacrior sit ad hæc omnia juventus , majorique curâ & contentione hujusmodi amplectatur institutum , hanc in se animi nostri futuram propensionem intelligat , ac sibi certò persuadeat , eum , quicunque in PALÆSTRA hac BONÆ MENTIS Erycio Puteano , aut eo , qui aliquando in pro-

E 2 fessorium

fessorium hoc munus auctoritate nostrâ succel-
furus est, Directore, strenuè se gesserit, doctrinæ,
morum, ac virtutis suæ specimen dederit, nec
non publicum PALÆSTRÆ testimonium atq;
elogium meruerit, magnopere nobis commen-
datum fore. Id quod hoc Diplomate confirmare
voluimus; eique sigillum nostrum appendi jus-
sumus.

Datum Bruxellæ ix. die Septemb.

Anno cl. lcc. x.

Per ARCHIDVCES.

Verreyken.

Non adjiciam Soli lumen, nec fonti aquam: hi radii
à majestate funduntur PRINCIPIS; hi latices perenni
scaturiunt origine; nec illustrem tantùm, sed æter-
nam BONÆ MENTIS PALAESTRAM reddunt. Vos, qui
bus nobili vigore calet sanguis, pari librate lance,
quid promittat, ac simul quid exigat, publicâ illâ
solennium tabularum auctoritate Optimus Serenissi-
músque PRINCEPS. Quid promittat? suavissimis Ex-
ercitationibus præmia; & ut majus etiam conferat
beneficium, animi ingeniique cultum exigit, & hoc
agit, ut præmia intelligas. Maxima felicitatis pars
est, scire quām felix sis: nec Fortunam suam capit,
qui minorem animum possidet. Quid igitur? Ani-
mum cole, & Litteras disce, ut Fortunam scias; imò
PRINCIPEM audi, ut Fortunam merearis. Operam cu-
jusque poscit ille, sed & designat, paratus in Rem-
publicam Curiámque Academicas illas adoptare lau-
reas, si in PALAESTRA BONAE MENTIS maturuerint:

fructum

fructum sine his Litteris ferre nullum possunt. Et enim ut in bello frustra procerus, & membrorum firmitate ac robore miles dotatus est, nisi caput galea, pectus lorica clipeusque muniatur; manum deinde ensis, hasta, telum armet: ita in rebus agendis, populisque gubernandis, non sola scientia, sed quæ eruditioni, prudentiæ, eloquentiæ, ac demum BONAE MENTI jungitur, valet. Cogitate Numisma, cogitate Diploma, & honestissimo amoeniorum artium desiderio animos accendite, ut EMINERE inter homines, intérque cives possitis. Vtrumque facile, si audere tantum unusquisque incipiat, & ingenium experiri. Nam de iniuitate temporum queri, morosum est: felices jam in ipsis Litterarum reliquias esse possumus, & vel Antiquitatem provocare, si sequimur: imò, digni esse, quos Musarum fama respiciat. Ergo projicite humiles cogitationes, & hoc semel statuite, puerile non esse, quod in ornamentum omnis ætatis, in solatium omnis ærumnae discitur: necessarium esse, sine quo ut maximè vivas, à mortuo non distinguaris; ut maximè sapias, infans & imprudens sis. Hominem, imò, virum Eloquentia facit, ad quam duco; imò ne infra vota positus videare, qui PALAESTRAM adis, novus Litterarum splendor efficiet. Quod summum est, PRINCIPEM cogita; & quantum ille studiis tribuit, tantum rebus quoque tuis accessurum. Iterum dico: PRINCIPEM cogita; & hoc fundamento PALAESTRAM BONAE MENTIS niti, Leges fulciri, decreta stare: quæ ejusmodi sunt, ut si quis jam Litteras ab Academiâ removeat, videatur

E 3 in ipso

in ipso Reipublicæ corpore caput, in Musarum sacra-
rio Apollinem Herculemque aspernari. Principis
auctoritate opus erat, ut fundamenta PALÆSTRA ac-
ciperet: imò, ut staret, longique ævi injuriam vince-
ret. Ne frustra institutæ viderentur nobilissimæ Ex-
ercitationes, transmitti ad posteros debuerunt: sic in-
choari, ne unquam desinerent. Sed hæc quoque opti-
mi & incomparabilis PRINCIPIS nostri virtus est, ut
omnibus prodesse velit seculis, & infra magnitudi-
nem suam putet beneficium, quod nullum non po-
pulum, nullam non ætatem obstringat. Sed in PA-
LÆSTRA solum si Serenissimum PRINCIPIS nomen es-
set, perennaret dignitas Litterarum: nunc quem non
fructum perpetuus favor promittat? Ut ab uno Sole
lumen & vigorem Stellæ omnes accipiunt, ac dein-
de transfundunt: ita ab uno capite origo erit omnis
gloriæ, ab uno fonte perennitas tot rivorum, quibus
rerum, ut sic dicam, temporūmque Oceanus implea-
tur. Me certè pœnitere deinceps consilii mei non po-
terit: pergam in munere quod suscepi, & quemad-
modum navem gubernator solet, universam PALAE-
STRAE machinam strenuè minantibus fluctibus pro-
cellisque objiciam. Nullum sine tempestate mare
est; & ut scias nihil non periculo obnoxium, etiam in
Litteris Scholísque publicis Æoli furor grassatur.
Quas sulcare undas cœperim, è portu quisque stu-
diorum aut littore animadvertis: & quorum indu-
striâ aliquâ meâ invidiam exacui, timere audaciam
possem, si tam facile me virtutis oblivio caperet,
quàm malè agunt, qui delicias suas putant, erudi-
tionem

tionem contemnere. Sed aliqui tamen sic affecti sunt, ut omnes exulare Musarum elegantias malint, quām PALÆSTRAM non despicere; parati, publicum BONÆ MENTIS fructum obstrepentium verborum illuvione mergere, quō Famæ favorem à conatu Dirigentis arceant. Sic paullatim quid agam, ex ipsis impedimentis intelligo; ac bene mereri de juventute videor, quia nonnullos offendō. Pergam verò, & auctoritate nixus PRINCIPIS, quas doceo publicè artes, attollam; quam erudio juventutem, exercebo. Sed & vires favor vester addit, Viri vivendo Optimi, docendo Clarissimi: quibuscum tam suavis mihi virtus studiorūmque toto iam quadriennio fuit familiaritas, ut nemo de me, de nemine ego conquestus sim. Omnibus hic scopus est, prodesse: ut meliores ornatoresque ex urbe & Academiâ recedant, qui ad Rempublicam accessuri sunt. Me quidem quotidianus Scholarum fervor, & exercitationum celebritas accendunt, ut quo studio & felicitate aliis Theologum format, aliis Iurisconsultum, aliis Medicum aut Philosophum; pari saltē conatu, quantum debeamus neglectis pridem artibus, experiar; ut attollam elegantias, sine quibus resplendere sublimium scientiarum dignitas non potest. Etenim Litteræ omnis doctrinæ velut colores sunt, gemmæ ac deliciae sunt, & picturata quædam vestis. Cogitet juventus, cui in pretio ornamenta esse solent: hæc assumat, quæ vera exulti animi insignia sunt, ut sive in Republicâ versari velit, benevolentiam populi; sive in aulâ, oculos Principis mereatur. Arborem sine cortice nec formo-

formosam, nec fœcundam dixeris: sic neque doctrinam, sine eruditione. Quare doctrinam quisquis æstimabit, eruditionem junget; amare Academiam non poterit, si PALAESTRAM oderit. Agitè Nobilissimi ornatissimique juvenes, qui in solatium carissimorum parentum Patriæque crescit, nomen BONÆ MENTI date, animi & ingenii agrum subigit: ut uberem quisque fructum carpat, ut honores sperret, ut famam apud suos inveniat, ut Patriæ & Principi placeat, amplius ignorare Litteras non potest. Quòd si angusti etiam Belgarum limites, & ubique terrarum præmia eruditio poscat; jam vota omnium, Orbis compendium, Italia implet, & ab ipsis Alpibus favor & honor PALAESTRAE allubescunt. De Viris aliis magnis & amicis quid dicam? SACCO, SEPTALIO, MONTORFANO, SILVAT. CANTONIO, BIFFIO? quid de Principe juventutis Insubricæ, Illustrissimo Comite VITALIANO, Vicecomite Borromeo, omnis ingenii & eruditionis ornamentis instructissimo, & ut breviter totum laudem, stirpe & fortunâ suâ digno? Amicitiæ & hospitii jam vobis limina, qui tesseram fertis BONÆ MENTIS, aperuere. Ipse Illustrissimus & Reverendissimus FREDERICVS BORROMAEVS, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis, Auctor Bibliothecæ Ambrosianæ, pro incredibili humanitate suâ, in Athletas meos pronus est, & jam affectu munificus. Quid mirum? abire ab ingenio suo Vir optimus doctissimusque non potest; nec satis attollere in Italiâ sibi Litteras visus, nisi & in Belgio juvaret: quasi totam humanitatis ubertatem

tatem condere in me non potuerit, etiam eos complectitur, quos disciplinâ & exercitatione meos hastenū feci. Meministis plerique vestrum, ô seduli Suadæ Sophiæq; alumni, quâ facilitate alloqui nuper absentes dignatus est ; quâm suavi scriptionis aurâ prope-rantes ad honestarum artium studia animos afflavit. Amorem effudit, & ut maximè hortaretur atq; impelleret, etiam præsidia obtulit. Contemnant hunc honorem, qui velut terræ quædam pondera depresso jacent, & in vitæ ignaviâ mortuum nituntur otium absconde-re: sed vos, qui vivere, non esse tantum inter homines statuistis, placere terrarum Dominis, & innotescere humano generi pergit; ut quantum Litterę possint, Apæstrorum quandoq; infelicitas fateatur. Tanquam faces este, & tot jam annorum caliginem vincite, quæ Musarum tristissimum vultum involverat. Quæ mora igitur? quod repagulum? Solvite, solvite, qui nondum ex numero meo estis, ligatum fallaci opinione ani-mum, quasi difficilis aut supervacua PALAESTRA sit: & amœnissimo Exercitationum genere gaudium, decus, gloriam parate. Si vitæ studiorūmq; tranquillitas pla-cet, nobile securūmq; otium in PALAESTRA invenietis: si armorum a dumbratus aliquis strepitus, Palladis mi-litiā hanc dicetis. Signum noscite, imò Duce, quem sequamini: non tam ad prælium, quâm ad victoriam e-undum est. Facem capite, & in hoc certamine, in hac Palestrâ currite, ut BONAM MENTEM paretis. Famam pro-mittimus. Ite ergo: non sine laudis vestigio via erit; non sine Sapientiæ voluptate labor. Plura si dicam, dubitare de indole & industriâ vestrâ videar : res ipsa incitare

F

unum-

unumquemq; debet & necessitas , ut Exerceatur . hoc
 enim nunc agitur , ut , qui in juventute istâ strenui &
 excitati ; contrâ , qui ignavi & abjecti censeri de-
 beant , sciat ipse PRINCEPS , nemo non intelligat .
 Vos strenuisperate laudem ; si qui ignavi , timete la-
 bem : hæc PALÆ STRÆ BONAE MENTIS au-
 spicia sunt . Tu nunc Arbiter surge , insigne tuum
 cape , & PRINCIPIS Imaginem indue , ut quam egre-
 gio muneri diligentiam debeas , vel à pectore
 tuo discas ; reliqui novam istam , & Di-
 plomate concessam auctorita-
 tem astiment .

DIXI.



NICO-

NICOLAI BVRGVNDI
DISSERTATIO.

*Omnia promittere Princeps videtur, cùm
Imaginem suam donat.*


 ÆPE diu multumque trutinavi animo beneficia Principis, quæ PALAESTRÆ BONAE MENTIS contulisset incredibili liberalitate: cetera tamen omnia mihi fulgor imaginis ejus tegere & obscurare videtur. Quid enim præstabilius est, aut pulchrius, quam præsentem habere figuram, cuius recordatione & memoriâ juventus sese ad Virtutem universa componat? ac si adhuc rudes animi nostri nullâ dulcedine Litterarum caperentur; possent tamen solo Numismatis intuitu sese vindicare à tenebris ignorantiae. Non enim hominis, sed Principis Imaginem accepimus: ac si hominis, at certè hominis supra hominem positi. quippe cuius satis non fuit Orbem terrarum completere armorum gloriâ, nisi & in pace Musarum præsidio innotesceret. Paucis id concessum est, qui utrumque hoc tempus pari Famæ concordiâ temperarent: quia tamen ea felicitas ipsi obtigit, non possum illam nisi nostræ felicitati assignare; quippe qui illo seculo vivimus, quo Doctrina reducta est cum Virtute in contubernium: siquidem solæ Litteræ sint, quibus sese longè latèque Virtus in pace ostentat. Priorum Principum igno-

rantia maximum lumen & ornamentum majestati subtraxit, cùm non est passa Bonas Artes, ut sublimis illa dignitas sese ulcisceretur adversùs obliviosæ vetustatis injuriam. Quo Principis nostri fulgor amplius enotuit, quanto longius ab illorum opacitate recessit. Etenim id fateri debeo, neminem hactenus ita complexum esse amatores Bonarum Artium, ut Imaginem suam daret. Lipsium quidem reducem suscepit maximus ille Hispaniarum Rex, Philippus, imò & amplissimo sibi honorario astrinxit. sed quis affectus caussâ esse actum dicat? quasi id utilitas non exigeret. etenim Reipub. intererat Litteras non interire. querendus erat in hac fortunæ luctâ, qui nobis etiam CONSTANTIAM præscriberet. sollicitandus ille, qui splendore sui nominis illustraret universum orbem: eoque ipso sollicitandus, quod promeruerat, ut sollicitaretur. Noster autem Princeps verè & ex animo Litteras amat, quia sese amare testatus est. nec verè & ex animo amet, nisi testetur. Imaginem suam nobis elargitus est, ne quidquam non elargitus videretur. Ingens amor erga bonas artes, ingénsque beneficium, quo nec optare majus, nec concipere posset avarus animus. omnia promittere visus est, qui seipsum donavit in amoris tessera. Si vel ad honores, vel ad dignitates accingimur, ecce quid attinet manum prensare? fautores & suffragia beneficiis extorquere? quotidie Principem habemus in consortio, à quo omnis honor emanat & proficit, velut à Phœbo suo dies. Si quis ad eruditionem virtutemque aspiret; semper in oculis scintillat Imaginis iste radius, animumque:

múmque nescio quo imitationis ardore inflammat.
Alit autem emulatio ingenia: nunc invidia, nunc admiratio
incitationem accendit. Quid enim statuæ olim, quid ima-
gines sibi in atriis voluere? nisi ut exemplo provocata
Posteritas, in BONÆ MENTIS deflectat obsequium. Non
ceram illam, neg, figuram, tantam vim in se habere, sed memo-
riæ rerum gestarum eam flammat egregius viris in pectore cre-
scere, neg, prius sedari, quam virtus eorum famam atq; gloriam
adæquarit. Meritò igitur purpuram bullasque pueris af-
signavit antiquitas, ut tum sese homines esse erubescer-
ent, si corde non præstarent. Quid nos? si ingenui fi-
mus, si ad Rem publicam à naturâ subornati, oblique-
mus oculos ad hæc ornamenta conciliandæ virtutis.
ad hoc concessa nobis, ad hoc communicata sunt, ut
Principis iste splendor mentem animumque æmula-
tione perstringat. Nam si rectè ex Imagine vultum, ex
vultu animum colligo: in vultu Majestas, in animo Vir-
tus elucet. utrobiq; verò singulare perfectionis exem-
plar. Otiosum est singula percurrere. satis sese prodit
sublimis animus, ad sceptrum purpuramq; natus. Quid?
talem nobis obtigisse Principem, qui habenas Belgi-
carum Provinciarum sine Litterarum ministerio du-
bitarit accipere? quid mirum? servire sibi didicit, pri-
usquam aliis imperaret. fores cupiditatis occlusit, an-
tequam voluntatis frena resloveret. humanitatem aliis
præscripsit, quam prius ipse excoluisse: imò æstimare
Litteras cœpit, ut essent qui amplecterentur. pulcher-
rima studiorum præmia proposuit, ne sub onere Virtus
lassata deficeret. Quanquam satis fuerat exemplo suo
docuisse, quanti Litteras faceret: propterea, quod om-

nes principum imitatores libenter existunt. Sed quid? affectum laxius aperire voluit, & amplissimo Diplomate universos sollicitare, quorum animos generosa titillaret ambitio. Talem Principem esse oportuit, sub quo prisca nobis redderetur eloquentia. Imò priscam eloquentiam esse oportuit sub tali Principe, cuius integritas nullo vitiorum confinio oblitteraretur. Propè est ut exclamem, *πάντες πάντα καλῶς ποιοῦσιν, ἐπειδὴ σὺ καλῶς ἀρχεῖς:* omnes omnia rectè faciunt, quia tu rectè imperas. Viden', quo studio sese omnes ad Bonam Mentem accingant? Viden', ut surgentes Musæ caput erigant, & in procinctu sint, ut fœdissimas Ignorantiæ reliquias totâ mole expugnent? Sed quid Ducem exspectant? ecce felicissimis auspiciis sese Princeps obtulit; sacramenta militiæ, legesque firmavit; Directori, Arbitro, Curatori, pondus auctoritatis adjecit; denique Imaginem suam in Symbolum dedit, ut præsentem semper adesse existimemus. O benignitatem! O prudentiam Principis! Etenim ille non ignorat, positam esse ille cerebram beneficiandi in conspectu Ducis. Macedones olim ab Illyriis superati, Regem in cunis prætulerunt ad prælium: quo exemplo docuere Victores, non tam requiri Virtutem in exercitu, quam præsentem Imperatorem. Nos quoque circumferamus oculos, generosi juvenes. Præsentem habemus Principem, quem tot votis expetivimus. ille in aspetto, ille in vultu versatur omnium. notat & designat oculis ad dignitates unumquemque nostrum. Felices nimirum, quod talis nobis laudator contigit, testisque virtutis! imò felices amplius, si nos illius præsentiâ dignos præstemus.

DIXI.

L E G E S
P A L A E S T R A E
BONÆ MENTIS.

NPALÆSTRA BONÆ MENTIS Animi ingeniūq; cultus esto: Hermathena esto; ut Principi Patriæque Iuventus placeat, Sophiæ studiis atque Suadæ. Vtriusque hæc sacra, quæ ordimur; utriusque præmia, quæ promittimus: Inter homines, inter cives eminere. Tu, cui ætas bona, etiam Mentem facito: Dignum te Majoribus, aut Posteris reddito: Virtutis nominisque boni instrumenta capessito; imò facem, quā in cursu ac certamine studiorum luceas. Si fas dicere, Prometheus adsum, & quem accendi eloquentiæ radium, trado: DIRECTOR adsum, & qui voce soleo, nunc te manu duco.

S V M M V M perpetuumque in Palastrâ munus, auctoritate fultum Principis, DIRECTOR obtineto. *ADIVTOREM* Symmachumque is habeto, quicum menses & Exercitationes dividat, fructum promoveat, annua Progymnasmata disponat proferatque. DIRECTORIS

RIS menses, Ianuarius, Martins, Maius, Iulius,
September November: ADIVTORIS, Februa-
rius, Aprilis, Iunius, Augustus, October, Decem-
ber sunt.

Ex ipsa Iuventute Magistratus Palæstricus,
ARBITER, CVRATOR, & Tres
A-CONSILII eliguntur. Horum dignitas
semestris esto. Si abitus aut longior absentia inter-
ruperit, qui vices subeant, à Directore substi-
tuuntur.

Creatio ARBITRI sine factione peragi-
tor. Binos tacitis singuli suffragiis eligunto: ex his
alterutrum Director constituito, PALÆSTRÆ
in signi & pompâ inaugurato.

Sic electus & constitutus cum auctoritate esto,
Imaginem Principis gerito. Honoris prærogativâ
publicè privatimque fruitor. Quam sustineat per-
sonam, iugi industria exprimoto. Quod gerat au-
rum, animo ostendito. Homericum illud sibi habeto:

* Rem
pulchre
gerere,
atque a-
tis ex-
cellere
cuntis.

* Aliev ἀπισέειν, καὶ ὑπείροχος ἐμενεαὶ ἀλλων.

Ergo strenue se gerito, ceteris specimen esto, in
oculis Principis se versari cogitato. PALÆ-
STRAM administrato. Ad Viros magnos do-
ctosque Litteras mittito. Si qui tales ad Acade-
miam venerint, visito: sed Magistratu PALÆ-
STRICO & Accenso comitatus. Cultum ob-
sequi-

sequiūmque solennibus verbis deferio, Nomina & memoriam excipito. Exercitationes disponito, exigitoque. Sapius ipse Differito. Gemini ius suffragii habeto. Feriarum tempore in Atrio BONÆ MENTIS publicè doceto. Nequid PALÆSTRA dishonestamenti capiat, provideto. Cum munere suo defungetur, Numisma Directori resignato.

CVRATOR communibus calculis eligitor, Res PALÆSTRÆ agito scribitoque, Acta condito, Sigillum gerito, Litteras obsignato, Albo nomina inserito. Multas corrogato, & in Aerarium conferto. Bibliotheca Catalogum custodito, & quidquid servandum PALÆSTRÆ scripscrit. Accensum habeto. Menstruos Schematismos preparato ac distribuito; Tabellas figi, & Conventus indici iubeto. Cum à munere suo abibit, Directori, Adiutori, Arbitro accepti & expensi rationem reddito.

Qui A-CONSILII, pariter creantor, Cum Arbitro & Curatore de rebus PALÆSTRÆ agunto, Quæ fieri, quæ non fieri debent, suggestunto. Familiares Directori & Adiutori sunt. Cum de Admissione & Dimissione cuiuscumque agendum, suam quoque sententiam interponunto.

G

ADMIS-

*ADMISSIO pro moribus cuiusque & erudi-
tione esto. Quem dignum Director pronunciaaverit,
is adoptator, isq; BONÆ MENTI se devo-
veto. In PALÆSTRAE leges solenni formulâ
iurato. Aerarium sive Bibliothecam pignore auge-
to. Tum & Scitum assumito, Et Symbolum in
PALÆSTRA suspendito, Et super utroque ex-
tra ordinem Differito. Scriptorem familiarem eligi-
to, Huncce comitem individuum habeto, Ad eius-
ce imitationem stilum efformato : cum Directori
visum, commutato.*

*DIMISSIO duplex esto : Honesta, & Inho-
nesta, aut hac ne quidem esto ; nisi Causa aut Cul-
pa coegerit. De utrâque ad Directorem Arbitr
& Curator referunto. Is statuto. Honestafolenni
modo peragitor : Et cum ex Vrbe quis & Aca-
demia discessurus, Industria, Doctrina, Probita-
tis Testimonium accipito : Si cum honoris publico
in signi ; publicè Laudator , sed si P A L AE-
S T R A creverit. Encomiasten Arbitr designa-
to : Cum festinus abitus , adiuvato , aut ipse hanc
provinciam sumito. Reliqui Collega favento, Car-
men aut Elogium scribunto, Inaugurationi pom-
pam addundo. Qui abiturus , libero munere affe-
ctum suum testator, Mnemosynon relinquito, Et in
quavis occasione Rem & Famam P A L AE-
S T R A E*

S T R A E promoveto. Tum inter HONORARIOS à Directore refertor. Ii, Viri eruditione & probitate præstantes sunt, Ad PALÆSTRAM hornum scriptum mittunt; aut, si vicini, orationem publicè habento; Scitum & Symbolum Auditorio consecranto.

QVI Exercentur, ORDINARII sunt, Leges PALÆSTRÆ observanto, Multas persolvunto, Quodcumque Arbitr Directore atque etiam Adiutore iubente imperavit, agunto. Hunc utrumque pari affectu prosequuntur, Publicè docentem audiunto, Quid Praeceptoribus, quid sibi debeant, cogitanto. Diem & Studia disponunto, Locos communes ordinanto. Difficultates propnunto. PALÆSTRÆ Orthographiam, Distinctionem, Pronunciationem, & Chironomiam observanto. Si quis neglexerit, ab Arbitro monetor. Tempori manum iniiciunto, Latinum Sermonem usurpanto, Gracum addiscunto. Rationem & præcepta à Directore & Adiutore accipiunto. Commercium epistolare instituunto. Sine consensu Arbitri alibi non oranto. Optimam supellecilem, Libros; sed optimos, censento: Malos, fuitiles, turpes arcendo. Duces ad eloquentiam Latinam, Ciceronem & Quintilianum; ad Græcam, Demosthenem & Aristotelem habento. Viris doctis honorem deferunt;

G 2

deferunto. Nihil, quod quemquam ledat, dicunto aut agunto. Quis privatim discent Litteras, Moribus publicè ostendunto. Inter vitia, ignorantiam; inter damna, otium & ignoraviam ponunto. **BONA MENTE** in Iuventute eminentio. Sobrietatem, Modestiam, Honestatem, Pietatem colunto. Principi, Patriæq; ingenium, se debere cogitanto; nec prodesse posse, nisi exercuerint. Ab iisdem Premia in occasione exspectanto. **Annum Sacrum** & Epulum celebranto. **P A L Ä S T R Ä** Tutelarem D. HIERONYMVM colunto. Eius diem intersolennes, Imaginem in **P A L Ä S T R A** habento. **AD EXERCITATIONES** statu tempore & loco conveniunto. **CONVENTVS** alius Privatus, alius Publicus esto. Privatus Saturni quâque luce, de Meridie, in ipsâ **P A L Ä S T R A** habetor. Ante secundam omnes adfunto. Dum conueniunt & consident, è Bono aliquo Scriptore pagellam Curator prelegito. Audito hora signo ad **P A L A E S T R A M** quisq; se componito. In eâ **DISSERTATIO**, **RECITATIO**, **LECTIO**, **DISPVTATIO**; sed ordine, & suis singula septimanis, sunt; & hora unius spatio terminantur. Schematismi sub principium mensis componuntur, **P A L Ä S T R A E** Typographo excudendi dantur, Ad valvas Auditorii ab Accenso affiguntur.

Prima

Prima, DISSERTATIO, & ad extemporalē facultatē parandam esto. Argumentum Arbitrē constituito. Dicenda verò omnes cogitatione concipiunto. Rem verbis & colore ornanto. Exemplis & Sententiis confirmanto. Quid Ingenium posset, Vox audeat, Frons sustineat, masculā dictione experiuntur.

Secunda, RECITATIO, & stili hic campus esto: sed ab Arbitro præfinitor. Quæ quisque scripserit, de Tabellā promito, & PALAESTRAE simul censuram subito. Director & Adiutor meliorem compositionem feligunto, PALAESTRAE libro, sub Auctoris nomine, inserunto; lustrandam, cum suo Arbitrē munere defungetur.

Tertia, LECTIO, sive Interpretatio loci è Scriptore Familiari, & una Crisis esto. Locum quisque in antecessum proponito, aut ab Arbitro accipito. Quæ mores, historiam, & eruditionem spectant, explicato, ac tantisper Doctoris munus sustineto.

Quarta, DISPUTATIO. Et è severioris Philologiae adytis sumitor: præcipiè Ethica, aut Politica esto. Sed QVAESTIONIS capita ad Arbitrum deferuntur.

Hic censuræ Directoris sive Adiutoris subi-

G 3 cito;

cito; *Admissa*, *Schematismus* inserito. *Qui* respondeant, *BINI* sunt. *Suum* uterque *dogma* defendunt. *Iudem* proximo mense oppugnanto, *Rationibus* & *bonorum* *Scriptorum* *testimoniiis* agunto. *Reliqui* parati sunt. *Arbiter* se pro nomine gerito, & *disputantibus* praesideto. *Si quis* dignus vindice nodus inciderit, sententiam suam *Director* sive *Adiutor* promito. *Etiam* ad *Septimanias Exercitationes* venire *Honorariis*, aliisque *Viris magnis, doctis, amicis*, fas esto. *Ordinarii* obligantur. *Si neglexerint*, aut sero aderunt, statutam multam *Curatori* pendunt. *Sed itinere* aut morbo excusantur. *Disputatio* in orbem ito. *Differere, Recitare, Interpretari*, liberum cuique esto. *Paratos* *Arbiter* evocato. *Etiam* loquentis orationem, si opus, abrumpito. *Cum silentio* omnes audiunto. *Sermones, nugas, strepitum, & reliqua immodestia signa alleganto.*

CONVENTVS Publicus, Menstruus esto: *Et primā mensis cuiusque Iovis die, in Auditorio Trilingui celebrator. Orationem* is habeto, quem ex *Honbrarus Director*; ex *Ordinariis Arbiter* constituerit. *Mensem* quisque vacuum sumito, ut se paret. Ergo promptus & Exercitatus esto: *De omnium heic honore agi putato. Locum Accensus preparato, Sedilia instruito, Auditores con-*
vocato,

vocato, Viros in Vrbe & Academiâ primos. Reliquam Inventutem tabellis commoneto. Qui Dicturus, argumentum orationis in antecessum Directori exhibeto: mox & ipsam censem dat. Habitam descriptamque ad PALAESTRAM deferto, libro consecrato; & vicissim industria premium ab Arbitro capito. Orationes hæc quatannis Director & Adiutor colligunt. Recitationes menstruas iungunt. ius emendandi & edendi habento. Nomen PALAESTRAE & Auctoris cuiusque prescribunto. Illius famam, huius contum promovento, Par obsequium ab hoc & illâ expectanto.



IVVEN-

IVVENTVTIS BELGICAE LAUDATIO

*In quā melioris Natura ac Discipli-
nae Imago.*



EMO tam composito aut seve-
ro mentis habitu , Musarum AN-
TISTITES , Musarum ALVMI-
NI , ut Constantiam illam Sapi-
entis ex formulâ tueatur. Homi-
nes sumus, non scopuli; & allisio-
ne rerum fortuitarum movemur.
Etenim in omni vitâ fluctus sunt,
& adstrepentes adfectuum aure.

Rigemus aut diffluimus mortales , ad quemcumque
rerum adspectum. Res prosperæ ac serenæ ? gaudio
peccat animus. adversæ & fuscæ ? dolore. Confusa
quasi temperie pectoris , aut frigore corripimur, cùm
se Fortuna subduxit ; aut æstu , cùm adfulsit. Vt ro-
que hoc adfectu (hominem me quoque profiteor)
in novo hoc munere circumfusus , trepidantis , & si-
mul gestientis vocis initium formo. Commoveri e-
nimi & quatì animum sentio, hinc lætitia sensu, quòd
in magni æternique Viri vestigia positus, dicendi do-
cendique honorem usurpem : isthinc mœstitiax, quòd
in extin-

in extincti. Quippe tam affigit obitus Viri , quem diurnare oportuit , ne quis succederet ; quād deleat successio (si tamen hæc successio est) cùm adoptare Philologiæ Interpretem Serenissimi PRINCIPES , Amplissimique ORDINES voluerint ; ut in Discipulo jam docere videretur qui obiit. Sic igitur , neque indulgere doloris voto licet , auspicali muneris pompæ intento ; neque ex sententiâ auspicari munus , renovatâ ægritudine saucio. Sed in hac jam pugnâ vincet , aut arcebit dolorem lætitiaæ incrementum , ne , quod coivit Academiæ vulnus , præposteræ pietatis culpâ recrudescat. Ad publicam faciem , meam componam , dum in publico ; reversurus ad meam , cùm liberum affectum quies & solitudo admittent. Ut cæli imaginem quisque sumit , nubilo nunc animo , nunc sereno : sic ego Scholæ. Itaque cùm , pulsâ nuperi mœroris nube , facies urbis & Academiæ niteat , & ab ingenti luctu sudum sit ; leniorationis aurâ renascentem Musarum amœnitatem mulcere , in veteri Musarum hoc loco , conabor ; & , ut superesse videatur qui obiit , in Iuventute Doctorem meum complectar. Publicus ille ingeniorum formator fuit , id est parens , Geniūmque morum in vos , ô IVVENES , docendo transfudit. Ut Parens in Liberis ; sic in Discipulis Magister , postquam vixit , vivit. Itaque , si Discipuli ; Liberi quoque estis , imò supereftis , eisdem & Magistro & Parenti. Inter utrumque ingens similitudo , & velut paritas. Hic ut Filios , sic ille Discipulos habet. Filii boni Patri Discipuli sunt ; Discipuli boni Magistro Filii. Malè Filios Pater genuit ,

H

nisi

nisi educet ac erudiat ; & Discipulos adoptare sibi in Filios Magister videtur , quos docet. Sic , vero verbo , Patres , primi Filiorum Magistri sunt ; Magistri , secundi Patres . Quid ergo est ? Amisisti Virum , quem instaurare ne ipsa quidem Natura possit : sed tamen exprimitis. Imò habetis : & sic , tanti nominis famâ corruscante , ingenii mei facula accensa , sterili radio laboret necessum est. Lucet ille ; audebo sublucere : præcessit ille ; audebo sequi. neque ideo fugienda via , quòd imparia vestigia erunt : quamquam minutioribus veniam ad metam. Antecessores in hac palaestrâ habuit , ut & successores haberet : & tamen post tantum Virum docere , non famæ tantùm dixerim præmium , sed felicitatis. Alius aliquis post me , & ex hoc numero , in hoc loco , ut NANNI VALERI QVE exemplum relinquam Discipulos , qui doceant. Ego profectò alieno profectu universum laboris mei pretium metiar ; & bonus Professor ero , si qui me audient , boni , imò quia boni. Præclara hæc vestra , ô IVENTES , in contraetio vocis compendio Laus ; sed mea felicitas , quòd Laudare possim , quos Docere aggre- ditor , priusquam Doceam. unde nec Docere sustineo , nisi prius Laudem : etsi Laudare non possum , nisi una Doceam. Recensendi Mores , describenda Indoles , Pudor , Modestia , Industria , Docilitas , reliquæque illæ felicium ingeniorum dotes , quibus Honor applaudit. Exemplum promitur , cùm Encomium ; bonisque in rebus LAVDATIO , cœu Monitio est. Ut qui castigat pravum ruentis animi impetum , prodeat : ita qui honestum illum , & se erigentis , stimulat. nec minori

minori fructu virtutes extuleris, quām vitia repreſeris: cūm facere boni haveant quæ Laudantur, mali trepident. Vos, si boni, Laude digni; nec inviti au-dietis quæ facitis. Ego quidem, ut faciam bonos, adſcitus ad publicum hoc Munus sum. Quid ergo? si Laudo bonos, non feciffe quandoque, ſed acce-piffe videar. Acceperim: addet tamen & mea ali-quid cura, ne tantūm acceperim. Recta indoles, fi non corrigitur, certè dirigitur; & distincti virtutis gradus ſunt. Limen aditūmque ſi quis Naturæ du-etu ſubierit, Doctrinæ & Sapientiæ opus auxilio, ut penetret ac ſcandat. Facit natura bonos, Disciplina perficit; & quemadmodum corpus, tametsi formo-sum, ornementa admittit: ita ingenium. hujus enim & forma quædam eſt, ſive venustas, benignæ Naturæ o-pus; & ornementum, accedentis Disciplinæ. Ego verò & Naturam, & Disciplinam IVENTVTIS BELGICAE ſimplici LAUDATIONE complector, Ipſe Belga. Oſten-dam me Amare quos Laudo, majori etiam ſtudio Do-cturus, quia Amo: quippe Amorem docentis Industria comitatur; atq; Iuventus ipsa lubentiùs audit imitatúr-que, à quo amari ſe intelligit. Priùs igitur common-ſtrare Amorem meum volui, quām Eruditionem: Laudare Iuventutem, quām Formare. Hęc enim ipsa LAUDATIO agnitio beneficii videtur, quo auctus or-natusq; ſum. Extollo Munus meum, quia Iuventutem; PRINCIPES, ORDINESQ. Patrię, quia Munus: atq; ipsa a-deo Iuventutis Laus in utroſq; illos redundant. Sed de Munere magis dico: Docere egregium eſſe, ſi dignitatē censeas; magis ſi pietatem. Alienos docere, dignitas eſt;

H 2 ſuos,

suos, hoc verò pietas. Vos ego, ô Ivvenses, magno Musarum sacramento Meos scribo: & sic nunc tamquam Vester audiri cupio, hoc etiam benignius, quia de Vobis dicturus. Ita enim rei necessitas exigere videbatur, ut quibus destinatum Munus esset, muneris quoque Auspiciū destinaretur. FLOREM VITÆ, IVVENTAM rectè dixerim: Veteres, Bonam Aetatem; cuius non iisdem semper finibus spatiū terminatur: contrahitur, cùm plures & distincti gradus, producitur, cùm pauciores. Quisque suo more & modo: mihi Romuli exemplum placeat, qui in Iuniores & Seniores populum suum distinxit. Semissem vitæ isti habeant, & hi semissem: nisi tamen in assem Iuniorum nomen admittamus. si mores adsunt, in omni ætate senes sumus; & maiores ætate, si majora molimur. Animi, non anni ætatem faciunt; & cùm vigorem senectus habet, solo nomine tamquam *mala* mulctatur. Itaque maturam Virtutem in Iuventute laudare mihi liceat: sed Spem Indolēmque, liberrimo adfectu. illam Pueritiae, hanc Adolescentiae propriam velut notam. Mitto Natales; Belgæ enim omnes sumus: mitto incunabula & crepuscula Rationis; rudes enim omnes iisdem Naturæ initiis fuimus: à surgentis pueritiae flore ordior, & primâ pudoris purpura, quâ anni prætextati commendantur. Ut à matutinâ cæli facie reliquum diem conjicimus: sic à puerili verecundiâ reliquam vitam. Belgis innatus hic color, pari pæne initio vitæ & virtutis. Pallere vultus nostri nesciunt, puri & sereni semper, ab animo puro ac sereno. Naturam sequimur, nec abducimur.

cimur. vrget illa clementi freno indolem pueri , fa-
cilique imperio in meliorem viam flectit Rationis.
Accedunt rectæ Institutionis stimuli , ut vel severâ
lege cogatur proficere , si quis reluctetur. Sed hoc ra-
rum , aut certè alienum est. Primis annis ad Litte-
ras & Virtutem duci puer debet: sed cavendum , ne
refractario gradu. si fit , aut mora , aut lapsus est. per-
git ipse , & properat suâ sponte , Pudor cui ductor est,
Labor , cui doctor. Hæc prima magistri cura sit , ut
puer velit proficere : volet autem , si pudoris freno
noxium indolis impetum frangat; volet , si Spartanâ
quadam Disciplinâ imbutus , honesta ambiat , & ve-
reri majorem natu ac revereri gestiat. Facit noster ,
& pulcherrimo virtutis colore modestiam innatam
temperat , Pudore ipso venustus. Sic se prodit san-
guis , & simul animus , ad id festinans , quod fecisse
delectet ; id fugiens , quod fecisse pudeat. Trahit
honesti amor , si quid cum laude ; deterret inhonesti
pudor , si quid cum turpitudine aggrediendum. Ve-
recundia igitur prima Juventutis nostræ laus est; cui
adjuncta amabilis morum Simplicitas , animorum
Ingenuitas : hæc Prudentiæ , illa Virtutis mater , cùm
Usus accesserit. Etenim ingenium , ante annos sol-
lers cautûmque , in malitiam abit; cùm , mutato Na-
turæ ordine , puer senex est ; senex autem ad pueri
mores revertitur. Ut rosei quidam colores recenti
opere ac arte belli ac vivi sunt , cum senio expalle-
scunt: sic & ingenia præcoci vigore matura ac florida ,
tamdem exsiccantur ac deficiunt. Atque tum cautif-
fimo fuko velanda vitia sunt , vita reliqua simula-

tioni paranda. habet enim aperta pravitas odium; & in hoc prudens saltem peccatum, quod sciat se contemni. Prudens inquam, sed infelix. Torquet enim assidua observatio sui, & anxie sermo vultusq; componendi, ut animus lateat. Nunquam cura solvimur, ait Seneca, ubi toties nos estimari putamus, quoties adspici. nam & multa incident, quae invitos demident, & ut bene cedat tanta sui diligentia, non tamen iucunda vita aut secura est, semper sub persona viventium. At illa (ex eodem addam) quantum habet voluptatis sincera & per se ornata simplicitas, nihil obtendens moribus suis! Sic nascimur, sic adolescimus Belgæ, satiusq; judicamus simplicitate contemni, quam perpetua simulatione torqueri. Puer igitur puer sit, simplici animo, molli fronte, modesto affatu; ut cum adoleverit, non prudens tantum, sed bonus sit. Nam ut aetatis, sic animi quosdam gradus melior natura fecit, ac vires virtuti doctrinæque paulatim subministrat, ne in ipso vite primordio vitam perfectam censeremus. Quorsum Pædagogus, quorsum Doctor, & Schola, nisi ut Ingenii defectum Institutio corrigat, pulsâ matutinâ nascentis vitae nube. Hoc ipsum monet imbecillam ac fluctuantem Prudentiam esse, quam non didiceris. A primo hoc simplicitatis rudimento reliquam Iuventutis Laudem censemus. Ante omnia, purus simplexque animus religione imbutus, rerum arbitrum Deum agnoscit: ritus & sacra Majorum colit: ut verbo dicam, Virtutum omnium fundamentum ipsum Numen est, & hinc semina constantis & incorruptæ Pietatis. Sed non in solo numine numen colitur: Dei aliquam partem Parentes, aliquam Praeceptores habent: Deumque veneratur, qui Paren-

Parentes atque Præceptores. certè; erga utrosque pia
Iuventus nostra est. Parentes sancto quodam obse-
quio colit; Præceptores, tamquam Parentes. Magnam
indolem industria alit, & in ratione studiorum viola-
re ludi leges, tamquam fori crimen. Triplici quisque
curâ urgetur: ut quæ discit, intelligat; ut retineat; de-
nique, ut ad usum promat: quorum istud Ingenii, il-
lud Memoriæ, hoc Iudicij opus; sed non sine Exercita-
tione. Naturæ dotes cùm intenderis, valent. Ingenium
cole, & quæ legis, clara erunt; Memoriam, & hære-
bunt; Iudicium, & ad usum servient: usum autem Oris,
atque Stili. Loqui, & simul scribere pulchrum est. co-
natur utrumque noster ille puer,

Quisquis adhuc uno partam colit aſſe Mineruam.

O amorem studiorum! Quæcumque à Præceptore
præscripta, facit, & quæ non præscripta; cumq;ue præ-
cipuam diei partem in ludo transegit, domi tamen ex-
ercenti ludum putat. Divisæ ad formulam horæ, vicissi-
tudine quadam lectionis atque scriptionis: & quasi di-
urno labore explere descendì cupiditas non possit, no-
ctes, violatis somni induciis, adsumuntur. Ardor ille
bonæ mentis ultra concubium producit lucubratio-
nes, ante diluculum resumit. Omne perire tempus vi-
detur, quod Litteris non impenditur. Sic, collectis
quisque necessariâ quiete viribus, stratum linquit, &
tamquam somni violentiâ divulsus à libris, ad relictū
pridiani operis pensum festinat. Mox matutino Phœ-
bi numine plenus, nunc carmen, nunc orationem pan-
git, & collectâ Auroræ purpurâ, etiâ philosophari au-
det, & vitæ cottidie initia cum ipso die auspicatur. Hic
domesticę disciplinę fructus est, dum paterni imperii

vincis pueri coercentur : Quis Scholarum , cùm ,
 laxatâ severitate , in publicam lucem & conspectum
 itur ? Bonæ Musæ ; quantum silentii decus , industriæ
 specimen , morum obsequium ! ut domi , sic in scho-
 lâ sunt ; in foro , ut in scholâ . ubicumque sunt , putes
 sub parentum aut præceptorum oculis versari . Vtri-
 que isti , cùm boni , ad bona ducunt ; & quos du-
 cunt , reddunt quoque bonos . ô magnam , ô perfe-
 ctam Laudem ; & quam non solam sola tamen sibi
 Belgica vindicat ! Diogenes Cynicus olim rogatus ,
 quâ in parte Græciæ viros vidisset Bonos , Viros , ait ,
nusquam ; sed Lacedæmonie Pueros vidi. At video ego , (de
 Europâ si quis querat) in Belgicâ : nec pueros di-
 cam , sed planè , planè viros . Etenim ut à fonte rivus ,
 à stirpe frutex : sic à primâ Institutione reliqua vita .
 Pueros nisi bonos haberemus , neque viros habere-
 mus . Quam in partem novellam plantam flexeris ,
 adulta inclinabit : pariter omnino ingenium est ; bo-
 num , si in bonâ ætate cœperit . Frangas enim citius quam
 corrigas , que in pravum induruerunt .

----- Adeò in teneris consuescere multum est .

Apud alios quam mollis educatio ! quam soluta di-
 sciplina !

--- priusquam septuennis est , si attigas eum manu ,
 Extemplo puer pedagogo tabulâ dirumpit caput .
 Cùm patrem adeas postulatu , puer sic dicit pater :
 Noster esto , dum te poteris defensare iniuriâ .
 Pro vocatur pedagogus : ehò senex minimi pretii !
 Ne attigas puerum ista causâ , quando fecit strenue .
 It magister , quasi lucerna uncto expretus linteo .

Iam

Iam in publico suos sibi sibilos ineptiasque habeant,
quicumque verâ & severâ Disciplinâ soluti; imò plau-
dant, & petulanti murmure Professoris conatum infe-
stent. nos Scholam, Scholam scimus; cùm docemur,
tranquilli, velut in sacrâ & plenâ numinis quadam æ-
de. Apud alios alibi (removete exemplum ô IVVENES)
quanto obstrepentium tumultu subsellia æstuant, pul-
pita laborant, & vox dicentis frangitur! tot plosio-
nes, contusiones, acclamations, ut Scholam scenam
dixeris, aut caveam mimicæ voluptatis. Invitus dico:
in ludo velut ludus Doctor est, & quisquis accesserit,
collectum petulantis animi pruritum inter audien-
dum solvit. Hic nimirum projectæ semel verecundiæ
fructus, ut, confusâ ratione, audaciam rudia adhuc
scelera inveniant; nec sub ullam honesti aut inhone-
sti distinctionem suas auctor actiones mittat.

----Nam quis

*Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Eiectum semel attritâ de fronte ruborem?*

Quidquid libido suggesterit, licere existimatur; & sic
peccandi licentiam consuetudo, consuetudinem im-
punitas sequitur. Parùm esset perturbari Scholarum
quietem, si hisce terminis ætatis morbus coërceretur:
in forum crumpens curiamque, bonos om̄es mores
exulcerat, & bonas omnes leges. Quid enim? caussa-
rum fiunt patroni, si D̄is placet, aut judices, quibus
Iustitia peregrina. Toga aut Dignitas utrosque facit,
& excitatum corruptæ indolis æstum, non modestia
aut innocentia, sed avaritia & ambitio compescunt,
fallaciis & morum quodam fuco. Scilicet arte & astu-

vivendum in Repub. & sumenda Lycurgi facies, ut sub velo peccetur. Boni quidem ubique sunt; sed Philosophi verbo, *Plures mali*. Inter Belgas vero etiam mali sunt; sed, vero elogio, *Plures boni*. Si dicere liceat, Mali illi hoc agunt, ut quales esse deberent, videantur: nos, ut quales sumus. Modestiae & decoris studium magis quam nomen profitemur. Quasi ad Cato-nis exemplum (verba Sallustii usurpabo) non divitiis cum divite, nec factione cum facti so; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocentia abstinentia certamus, esse quam vide-ri boni malum. Omnino esse, atque id à primâ ætate, cum simplex adhuc indoles & Modestiae candidata. Sed & nos profectò homines sumus, id est, non omnes Boni. Qui non, communem Patriæ laudem non obfuscant. Terram vide; inter bonas fruges & salutares herbarum succos, sentes tribuliq; naturali incremen-to surgunt. Cælum vide; in illustri tot siderum choro, infesto aliqua & infausto radio scintillant. Genus hu-manum divinum facimus, si vitiis liberum, & omni naturæ morbo. Quid ergo est? generosam indolem indulgentia parentum otio solvit & exhaustit; vacuum que deinde animum etiam levissimæ affectuum auræ abripiunt merguntq;. Sententiam Quinctiliani audia-mus: *Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, ner-vos omnes & mentis & corporis frangit.* Quid non adultus con-cupiscet, qui in purpuris crepit? Nondum prima verba ex-primit, & iam coccum intelligit, iam conchylium pescit. antè palu-tum eorum, quam os instituimus. In lecticis crescunt si terram at-tigerint, è manibus utrimq; sustinentium pendent. Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne Alex. indrinis quidem permit-ted a deliciis risu & osculo excipimus. Ab hoc fonte reliquus

vitę morūmq; morbus; imò infelicitas ævi, dum educationis vitio pudor omnis puerorum defluit, & primi statim anni fraude, & fuco, & divitiarum præmaturo desiderio acuuntur. Sic verò Iuventus innatum modestiæ decus deserit, malisque artibus ad lucrum pariter, otiumque festinat. Sed huc parentes ferè ducent; stulti, imò verò mali, quòd vanissimo voto felicitatis metam divitias statuunt; otium, divitiarum. Impunè dixerim: Pauci boni, qui divites. quippe hales otio fascinati, meliorem omnem cultum projiciunt extra ætatis fines. Quid recti, quid ardui molitur, cui plenâ manu otium Fortuna adfudit? Torpor, stupor, omnèque animi dedecus segnes delicatosque circumfluit; dum per inertiam vitia se insinuant, & adhærent. Primum, nemo non ignarus, qui ignavus; quia otiosam mentem bonæ omnes artes fugiunt. Deinde spoliatus vitæ cultu animus, scleribus succumbit. Scelera igitur ab otio sunt, sed otioso: à divitiis otium, sed otiosis; cùm ad solum luxum convertuntur. Dignitatem hominis non à fortunâ Sapiens, sed ab animo metitur. Bonum aliquem vides? divitem pronuncia: doctum? pariter, sed si bonus est. Quippe

---*Omnia adiungit bona quem penes est Virtus.*

Iam & doctrinæ fructum ille possidet, qui non sapit modò recte, sed facit. Vtrumque Belgica hæc Iuventus. Discit enim, ut agat; atque adeò agit, si tarda Disciplina. ut quisque linguae & rationis usum adeptus, Litterarum rudi tirocinio iniciatur. Amusus planè nemo unquam Belgarum adolevit: sed postquam

Musarum auxilio prima illa ruditas depulsa , velut in sereno reliquæ vitæ ratio designatur ; imò & initur. Pæne malè agere, quàm nihil malunt; etsi hoc ipsum malè. Dicere , differere, philosophari , & reliqua Musarum obire munia, paucorum est; sed meliorum, aut dicam potius ? Belgarum. Plerasque gentes pridem Litteræ deseruerunt , quia ipsæ Litteras : vos amplexæ , quia vos Litteras. Etenim (consensu orbis dicam) sedem apud vos habent ; &, cùm ubique exularent, in sinu vestro spiritum , & sanguinem, & patriam re ceperunt. Ipsæ Musæ vestræ sunt , & vos Musarum. Ia ctent se veteres Græci ; hîc jam Græcia est : veteres Latini; hîc Latium. corruisset utriusque gloria , nisi ingeniorum solida æternaqué fulcra ruenti jam Antiquitati Belgica subjecisset. Hoc quidem rerum humanarum velut fatum est , ut fugitiva veterum inventa aliæ & aliæ provinciæ successivâ quadam industriâ excipient , ac restituant ; & quasi orbis totius fint , benignoqué Naturæ jure communia , nascantur alibi , alibi renascantur. Multa olim Artifex Græcia, Bellatrix Italia dedit; at Belgica reddidit. Ipsí libri & litteræ veteri lumine & gloriâ spoliatae , novo & Belgico radio resplenderunt. Primam gloriam Inventores præripiunt ; sed nobis debent, quòd doctâ pietate excepimus extorres velut artes, quòd fovimus , quòd restituimus : paucis , quòd animo indeisque Græcorum & Latinorum posteri videamur, solo & cælo disparati. Vt siderum infelices ortus sunt, cùm obliquo gyro mox occidunt: ita Litterarum, nisi durent apud posteros , ac diurnent. Parca aut iniqua Fortu-

Fortuna sit, diviti si divitias largiatur, heredes neget;
& Inventorum plena gloria est, si in secula fructus
industriæ manat, & invenisse sciantur. In laudem ista
dico nostræ Iuventutis. Nam uti diei Natalis inepta
lætitia est, quem vicino dolore mox Emortalis con-
fundit: ita bono publico in lucem nuper protracta bo-
na studia, damno publico in tenebras & oblivionem
recidissent, nisi nova à Belgis fax accensa. Certè ac-
censa, & jam perenni radio fulget, in exemplum Po-
steritatis. I. LIPSIVM, id est ipsum Solem habuimus,
à quo tot stellæ, tot ignes etiam lucent, succrescente
ad Virtutem ac Doctrinam ævo. Alios secundæ velut
famæ habemus, & ut porrò è Iuventute istâ habe-
mus, votum meum, adeoque publicum est. Quid non
promittam Patriæ, imò Posteritati, è tanto numero,
de tam prolixâ industriâ, quâ spes cottidie Littera-
rum renovatur? In vos conjecti Orbis oculi, ô IUVENES,
sed prompti animi. Exspectatio urget, favor in-
citat, ut propulsato ingeniorum deliquio, æternas esse
Litteras velitis. Erunt profecto, si modò vultis, imò
quia vultis. Quid alio & alto votorum genere ani-
mos obruitis? Vindicare Litteras, culmen omnis Fa-
mæ & Fortunæ. Divitias spectas? in Litteris possides,
quod vis aut casus non eripiat. eminere juvat? impe-
rium quoddam Litterarum est. fasces delestant? &
hoc honore Litteræ fulgent. Conferte rerum mo-
menta, aut me ratio fallit, aut jucundius in Litteris,
quam imperio ac divitiis esse. Quid? quod nullæ sine
Litteris divitiae sunt, nullum imperium; aut si est, ca-
ducum. Sed non huc eo, ut severâ cogitatione oratio-

nis amœnitatem imminuam. In Laudes se laxet affectus, in Laudes; &, collectis cloquii rivis, ulteriores indolis Belgicæ fines circumfluat. A rudi adhuc mente ornavi Iuventutis mores: nunc à rudi etiam manu; cui, si artis Gcnium spectes, & sua quædam mens est. Non eodem omnes cultu censemur mortales , aut capimur : quibus Musæ horrent , aliæ & secundæ elegantiæ allubescunt. Evehere intentâ contemplatione animum , aut effatum jugi scriptione polire, non omnes juvat: malunt nonnulli exerceri in Dædali palæstrâ, & inter sudores otiosâ mente occupari. id in Belgis admirandum in primis , quorum in omni arte & opere ingeniosa industria: huic soli vitalitatis culpæ obnoxii , quod nesciant otiani. Sed facile negotium est , quod utilitas facit ; facilius, quod voluptas: in Belgis rem nemo sine delectatione quaerit ; imò in Belgis otium quisque spernit , quamvis possit otiani. At enim nobilium ac opulentorum hoc insigne, posse: imò malorum , aut in malum ruentium hoc insigne , velle. Vano se emblemate jactet ingenium, quia otiosum. Aër & æther in motu sunt: hominis conditionem aliter censemus? animus ipse motus est , & membra ceu instrumenta habet actionis. Cadaver est hominis, non homo, qui otiosus, & cujus vivo in corpore mens sepulta. Curius Dentatus , referente Seneçâ, ajebat , *Malle esse se mortuum, quam vivere.* Rectè. addit enim Sceneca: *Vltimum malorum est, ex vivorum numero exire, antequam moriaris.* Vivunt igitur , dum vivunt Belgæ , serio homines; quia à primis statim annis rebus adsuescunt, & cum vivere, simul agere
incipi-

incipiunt. In hanc quippe vitæ scenam nos Natura duxit, ut suæ quisque fabulæ non spectator, sed actor sit. Etenim publicum hoc theatrum est, & unâ omnes caveâ concludimur: sedent alii, & otiosam captant voluptatem; nos Belgæ damus, sed negotiosi. Ecce magno & diuturno jam bello oculos admirationemque provocavimus Orbis; & Pacis tamen omnes artes nostras fecimus, Palladio quodam cultu. In Republicâ alias, in Familiâ alias, in se quisque occupatur. omnes id agunt, ut agant; paremque ubique materiam agendi inveniunt, etiam cum declinant. Curam aut administrationem Reipub. si quis fugit, si quis Familia; negotium tamen non effugit: ad se cum redierit, & Rempubl. & Familiam habet; *Civisque officia cum cessaverint, Hominis supersunt.* Sed nostra Iuventus, ut isthuc redeam, cum Musæ alienæ, bono Parentum instituto, aliarum artium laborioso cultu politur. Quid vulgum & officinas lusstro? Etiam nobilium prætexta operarum admittit maculas, neque maculatur: manusque melior scalpello, limâ, malleo, penicillo fatigatur, non polluitur. Honestam omnem artem dixeris, quam honestè exerceas: salutarem, quâ inertis otii tœdium disspellas. Cude, finge, fabrica; inter fuligines sudoresque illæsum nobilitatis decus. Quid suavius, quam possidere atrium, quod ipse ornaveris? gestare arma, que confeceris? frui arvo, quod ipse colueris. Delicias vitæ ne fingamus: omni ordini ac ætati actio ornamento est; & superba palatii limina offici-

officinam omnium artium admittunt. Prudens igitur, & laudanda Belgica, quæ laboribus, rerumque honestarum occupationibus Iuventutem omnem roborat: laudandi parentes, qui nobilitatem otio non solvunt; qui occupatos habere liberos malunt, quam malos. Nam ut ager; sic ingenium est: nisi colas, spinis tribulisque inhorrescit. Colunt Belgæ, & ò exemplum extericiant! ô teneros annos laborum amore imbuant, arduæque vitæ! Rarò fit: ideoque laudabilius, quòd apud raros. Sed si omnes Belgæ sint, Belgicis moribus sive institutis, Probitas & Fides florem recipiant, vanissimo luxu imminutum. Nunc apud plerasque gentes corrupta otio Iuventus, postquam debles Musarum lineas delevit ex animo, Parentum indulgentiâ spernere artes omnes audet, quas omisit. Manum verò viliori opere inquinare, stultissimum putant. Scilicet tenelli isti artus sunt, non ad artes ulla, sed delicias, sive potius inceptias, facti. & illæ tamen artes honestissimi laboris non fructum solùm, sed laudem quoque promittunt. Scire igitur cur pudeat, quod cum fructu exerceas? cur exercere, quod cum laude scias? Ut vestium simplicitas vilitatique cultu & nitore corrigitur, neglectu fordanet: sic ruditas amusæ indolis animique. Macti hoc cultu, hoc nitore Belgæ! & suavioris nunc encomii ferculum libate, Prudentiæ cumulatâ Laude conditum. Ita dico Prudentiæ; ad quam, hoc in primis explorandum, quâ viâ pervenias. Si annos exspectas, sera maturitas est: studio, industriâ, & observatione opus, & lustrandæ urbes, viri, mores, ut ætatis cunctationem præveniamus.

mus. Ut herbas & fructus naturæ deliquio serotinas, procurato calore præcoces reddimus: ita mentem licet opportunâ peregrinatione. Sed absit, ut tardiora Belgarum ingenia censem, quasi orbis inspectione erudiri debeant: quin matura potius, quasi possint. Cùm nimiùm desidet ditoris indolis vigor, in sinu materno contabescit. Peregrinatione delenda parentum indulgentia, ut à pueritiâ Iuventutis ille Genius discernatur. Alios annos alii mores decent, & alios mores alii anni docent. semper ille puer, qui domi est; qui extra paterni agelli ambitum solem non vidit. De ignavis inertibusque dixerim:

Condit quisque diem collibus in suis.

Blanditiæ domesticæ relinquendæ & nuces, ut sapere incipias, & obtutu imperioque alieno deserenda animi mollities, vitioso Penatium otio contracta. Ut pueruli, cùm è luce in tenebras transferuntur, horrent: sic alieno Lare quærerit se animus, & curâ ac circumspetione contrahitur. contrâ, si domi in ignaviam se libertas vernacula solvit, & pueriles ineptias reliqua ætas recipit, ne in Senectute quidem eluendas. Sic quidem videri possint, qui vitæ vota, ubi natu, sepeliunt, testudines esse, imò pueri in omni ætate. Iuventuti etiam nostræ hanc prærogativam Industria concessit, ut exiguo dispendio peregrinetur: artes & indolem pro viatico confert, & ubique terrarum inventit Penates. Qui discendi, videndi caussâ hinc abundunt, alibi mox Magistri sunt, & in curam adsumentur bonæ Institutionis. Amant exteri Eruditio nem, Modestiam, Fidem nostram; & bene quisque

K

actum

actum cum liberis putat, quibus Belga præfuerit. Magna hæc fiducia, spem familij, & velut solatum alienæ curæ ac disciplinæ committere; Magistrum dare liberis, quem sola Fama natali nomine commendat. Sed nos meruimus hanc fiduciam Belgæ, & quasi Naturam nullis vitiis corruperimus, Boni apud omnes habemur. Ceteros ferè, qui docendi ducendiq; peritiam ambitione & avarè locant, suspicione & maculæ involvunt: & in Galliâ, Italia, Hispaniâ, si quis è popularibus Pædagogus, aut Doctor adsciscitur, tabulis & longâ testium serie censetur: si quis è nostris, testes & tabulæ nomen est; hoc satis, quia Belgæ. Ó constantiam benignæ & veræ opinionis! in morum & doctrinæ examine atque magisterio, suos, exteri alienos habent; Belgas, suos. Venerabile nomen Belgæ est. Atque id ipsum in omni quoque occasione ac negotio videmus. Tamquam ubique, & ad omnia nata hæc Iuventus, Genium cujusque gentis, cujusque artis repræsentat; & cùm universum terrarum orbem lustrat, peregrinari tamen non videtur. In Principum aulis miniterium Belgæ ubique laudatum; in Mercurialibus curis industria, in re militari peritia, in omnibus fides. Sic igitur corpus animûmq; motu exercemus, & quasi Naturæ beneficio contenti non simus, prudentiam usu, etiam ante prudentiæ annos, provocamus. Mores patrios discimus, alienos inspicimus, & tamquam angustisoli natali limites sint, toto orbe habitamus. Linquimus verò, non ut linquamus patriam. Scilicet in mare imus, rem facimus; postquam fecimus, redimus in portum. Belgicam nescit, nisi qui deseruit;

sed

sed qui deseruit, noscit. tum sparsa vota quisque colligit: istuc redit, ubi imaginem peregrinationis suæ, & in compendio orbem contempletur. In illo verò motu, quis terræ angulus, quem non lustramus? quis Oceani, quem non trajicimus? nihil longinquum, nihil asperum, nihil inaccessum. Hac pæne conditio ne nascimur Belgæ, ut peregrinemur. Gallia, Germania, Italia, Hispania nimium jam vicinæ: Asiam, & Africam petimus, & sejunctam Oceano terram. Solis iter, nostrum est; & visum curioso desiderio imus, quidquid ille videt. non montium fragosis jugis, non maris immenso spatio prohibemur. Cardines & claustra ipsa mundi patent. Ex omni populo mores & exempla trahimus, & quæ ad usum communis vitæ. Externa scimus; sed & antiqua scimus, quasi non terræ tantum, sed indigenæ omnis ævi. Ipso sermone sumus, & linguarum pleno jure, perfecto usu. Quæ fuere olim, apud nos vivunt; quæ subnata, apud nos vigent, nostro quoque beneficio fatum evasura. Gallum, Italum, Hispanum, à vernaculâ suâ dimoveas: nostra Iuventus vernaculam ubique habet, omniumque linguis utitur tamquam suâ. Ennius olim sollemni voce Tricor dictus, quod tres linguas usu calleret: sed minus hoc elo- gium, quam ut in Belgam conveniat, si, ut in laude plures linguae, sic corda sint. Ab uno & recto semper animo distinctæ nobis formæ illæ sermonis, in quibus ipse sine fuso animus elucet. Aliud loqui, aliud sentire aliorum est: candorem profitemur. Nobis verò Musa Latina debet, quod superstes. Soli enim, aut cum paucis, hodie Latini sumus, & ore Roma-

no, non scientias dicam, sed negotia tractamus. In-
situm quibusdam nationibus hoc vitium, quibusdam
hic defestus, loqui ut Latinè refugiant; à linguâ ut
linguam separent, laborioso solius itili conatu erudi-
ti. Etenim non assequi vivacioris hoc Suadæ bene-
ficium, defestus est: etiam damnare, cùm non asse-
queris, vitium. Sed ô infelicem sermonis fructum,
quem legas, non audias! uno sensu tantæ majesta-
tem linguæ qui comprimit, ille verò sine sensu. Non
minus loqui, quām scribere, pulchrum est, si quis pul-
chrè loquatur. Non ego barbariem laudo; conatum
laudo, quo nitorem quisque linguæ sectatur; imò er-
rorem laudo, quo corrigimur. Ut vini; sic sermonis
fæces sunt, fateor: sed expurganda paullatim prima
balbutientis naturæ ruditas, ut puris coloribus nite-
scat oratio, & liquidum rerum sensum fæcundè &
facundè repræsentet. Profectò Iuventus nostra facit,
& cum laude facit; hac quoque Latinitatis hæresi
imbuta, ut Musarum sacra idiomate putet vernacu-
lo violari. Quid honestius, quām de Eruditione,
Historiâ, Antiquitate, Latinè differere, aut loqui?
quām ipso sermonis habitu velut signo candidatum
se præbere & probare Eruditionis, Historiæ, Anti-
quitatis? Neque verò tam infeli Genio natì sumus,
ut tamquam à vernaculæ vilitate ac contemptu ad
tantæ usum linguæ confugiamus. Veneres deliciasq;
dicendi & nos habemus, & admirandam verborum
proprietatem. Ad natales mundi referre originem
non sustineo: sed tamen, si pretium Antiquitati sit,
inter plerasque hodie gentes ut animo, sic Linguâ,
emine-

eminemus. Illam puram, id est, nostram laudo, & nullo dictionis exoticæ fuso inquinatam. Nam ut nunc quorumdam mores sunt, delibatur sèpius floridus ille vigor sermonis; quasi pulchrum, domi, & suâ quoq; lingûâ peregrinari. Sed violent illi stultissimâ ambitione Patriæ Genium, & spreto lingua toro, adulteria, quærunt corruptarum vocum. Interpolare nativum corporis decus superba lascivia audet: an & sermonis? Accepimus à Majoribus idioma, quod discere velimus, nisi acceperimus; dignum robore nostro pariter & candore. Tale certè est, robustum candidumque; sed nos non tales, si fregerimus, si fœdaverimus, ritu, an pruritu? novitatis. Iuventus caveat: serpit iste morbus, & propriæ ac nativæ voices intercidunt, monstra subnascuntur. In nostro agro, à nostro semine felix floridâque lingua est, adulterinas ineptias cur misceamus? Iterum dico, Iuventus caveat: omnes polleat linguas, nullam polluat. Post primas illas, TERNAS illas, eruditas illas, quibus locus iste sacer, vernacula mæstimet; nec animo solum, sed sermone quoque Patriam profiteatur. Conditionem animi sermo sequitur. puri bonique non videbimus, nisi loquimur. Annon in omni vitæ cultus sumus? planè & nivea illâ puritate boni, & bonitate puri. Sed hunc cultum obiter quoque inspicio, id est, novam Iuventutis meæ Laudem. Quid ni? vestem domumque censere soleo, & hinc virum: imò urbem, & hinc populum. quæ si vera censura, optimi omnium hominum Belgæ, quia cultissimi sunt: in primis Iuventus, tamquam in ipso vitæ flore. Nam

ut pueritia, sordibus lœta, squallet incuriâ : ita senectus curâ. nitoris cultum necdum illa didicit; hæc dedidicit, & adscitâ frugalitate usum rerum, non ornamenta sectatur. Nimirum languescit ille fervor animi, & vita, unde venerat, redit. At verò Iuvenilis ætas, sui diligens, circumspicit se, & Naturæ exemplo masculam elegantiam adsumit. Ita dico, masculam, id est, Belgicam, & in vestium, ædium, urbiumque cultu. Ut igitur primo adspectus examine mores Iuventutis scias, vestem examina, neque maculis sordidam, neque neglectu laceram; sed neque rugarum ubertate prodigam, neque parsimoniâ contractam. Hac moderatione, & simul cautione utimur, ut veste paremus, in quod inventæ sunt: ceterùm, nitorem ipsum pro gemmis & auro habeamus. Overum, ô unicum corporis ornamentum, cùm tegumentum est; & in nostrâ potissimum Iuventute reperiendum ! Atque ad hunc modum ædes & urbes nostræ sunt, amœnæ, nitidæ, instructæ, quasi viliùs habitare corpus non potuerit, quâm animus; & Naturæ pretium in circumpositâ velut imagine nosceremus. Neque ego cultum dumtaxat corporis, sed Formam laudo, eoquæ liberius, quod animum indicat. Quos bellos vides, boni sunt, ideoque belli, quia boni. Tanta æthereæ illius auræ vis & facultas, ut qui in animo nitor, in corpore luceat. Non eodem mortales colore & formâ sumus. illi boni, illi belli, quos divinæ Naturæ radius non animat tantum, sed illustrat. Tales Belgæ, omnibus faventis Genii deliciis imbuti, formâ eximii. velut pulchritudinis quædam simulacra. Nullus

in

in oculis torvor, in vultu nebula, in corpore nævus.
quidquid vides, Gratiarum est,

Cen lacte mistum & purpurā.

Iam qualis forma, talis vitæ cultus, tamque à sordibus alieni sumus, ut pene mundicie peccemus; sive cum publico censu grandescit splendor, sive cum deliciæ privato. Sic verò infractum Belgicæ robur constantiæ indicio prodit, sub longâ & lentâ rerum omnium ruinâ. Quid? pertinacis belli sævitiam pressi, studium nitoris auximus; nec tantum ab innatâ constantiâ impetrare miseriæ nostræ potuere, ut Fortunæ saltem sordidati essemus. In ipsâ hac nube gementis Reipub. omnium elegantiarum stricturis animos testati sumus, & in exemplum ab ævi arbitris laudati. Etiam dico? quidquid ubique venustatis, à nobis est, & hac origine fluxit. Compendium si amas, in unâ Belgicâ universum orbem nosce; aut, si angustiæ hæ premunt, Belgicam in universo orbe. Etenim omnium elegantiarum artiumque coloniæ hinc missæ, nec à Belgis discere mortales puduit. Lustra gentes & regiones orbis: ecce magnarum urbium officinæ, aut opere Belgico, aut artifice Belgâ commendantur. Palatia, prætoria, templa, picturis nostris tapetiisque superbiunt. Nitet familia, ubi minister Belga; frequentatur taberna, ubi artifex Belga; veneunt compendio merces, ubi institutor Belga. Paucis: ob munditiem, diligenciam, fidem, carum ipsum nomen est. Dedit Orbi Iuventus ista pictores, scalptores, sculptores, & omnis notæ Dædalos, quorum in pretio monumenta ac nomina sunt. Dedit artes,

Quæs

*Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.*

Expleri industria nostra penicillo non poterat; acu, stilo, radio cœpimus pingere: ingenii & inventionis ubertatem tabulæ aut lintea non capiebant; vitreas, lapides, laminas, colorum amoenissimo succo perfudimus. De Scriptoribus, Typographis, Bibliopegis, audeo dicere: nihil correctius, nitidius, elegantius esse. Loquuntur ipsæ schedæ, characteres, libri; & oculos, manus, animos contrectantium suavissimâ voluptate imbuunt. crescit intuitu legentis desiderium; & quemadmodum suavior è vase potio, quod ars aut pretium effert: ita lectio quoque è libro, quem externa quædam venus. Sic igitur Iuventus nostra aut occupatur suavi Litterarum commercio, aut alios saltem occupat: et si occupari non potest, nisi & occupet; dum sive exemplo, sive illico, exulantes à se mentes retrahit, sedetque. Exemplo quidem Iuventus nostra est; quia dum evolvit bonos omnes scriptores, ad evolvendum hortatur: sed illico liber; quia, cum tam artificem, quam auctorem suum laudat, spectantium titillat oculos, siique desiderium studiosis animis instillat. Emitur, et si pretio magnus; legitur, et si formâ. Putes non minùs libros, quam homines vultu & veste censi. Censeantur; vultum enim vestemque à nobis capiunt, quia purioris illam medullam animæ: quasi hic potissimum ornari debeant, ubi nascuntur. Copiam non extollo, sed pretium; non quantum quisque, sed quid scribat. nam si æstimo magis quam

quām numero definimus, feracissima librorum Belgica est; felicissima ingeniorum. Stilo & eruditione magna pars Iuventutis inclaruit: hoc ætatis damno minores apud exterorū quod tamquam senes legantur. Sed canâ mente senes sunt, & à Sapientiâ præcepérunt annos, quos Natura promittit. Ad exempla fortassis vocor, & ut universam Iuventutem ambitioso labore recensem? Famæ hoc negotium est, nec longinquæ; cui se vocis obsequium frustra misceat. Et enim si eos intueor, qui è Lipsianâ disciplinâ prodierunt; scribunt omnes, qui prodierunt: si eos, qui ex alienâ; putes stili jure ab ipso LIPSIO donatos. Bonam omnes famam amant, sed à vitâ & doctrinâ. Plerosque tamen Militia evehit: in quibus vitam patriter & doctrinam laudamus. cùm scribere possint, malunt agere; imò, cùm scribere possint, malunt pati. Sed agere & pati fortia Romano more. Sic natsumus, imò sic factis sumus, usu & exercitatione. Nam ut Litterarum; sic armorum quoque Scholas habemus, erectas sumptu publico; & in urbe quisque suâ, tamquam in militiæ quadam umbrâ tirocinio Martis iniciatur. In concusso statu gradum componere, contracti temporis compendio ensem rotare, iictus adversarii velocissimo motu elidere, ac denique prœclantis perfectissimam imaginem dare, primum bellicæ virtutis rudimentum est. In hunc usum Martiali Majorum instituto Collegia Gladiatorum, Sagittariorum, similiumque habemus, in quibus Iuventutis robur audaci armorum peritiâ nutritur. Armorum? atq; adeò belli. Ordinem ipsum artemque discimus, &

L. lat. 3. col. 1 inge-

-dīs q

ingenium militari contemplatione armamus. Metari castra , mœnire urbem , cogere aciem , nostrum est , & omnem , seu lineis , seu calculis , ludere imaginem castrorum . Amœnum , sed arduum tamen hoc negotium est : ut muros flectas , propugnacula erigas , situm observes . In ordinibus quoque hostis & locus variare cogunt . nunc cuneo , nunc orbe opus , nunc in quadrum spissandi ordines , nunc contracto numero in lineam producendi . omnia cum feceris , est tamen quod agas : omnia cum scieris , tamen quod discas . Belga vero tam modesto ingenio est , ut dicere aliquid velit , etiam cum scire se putat ; quia ne scire aliquid se fatetur , cum didicit . Sed ne umbram tantum ornem , animo & exemplo milites sumus , et iam cum non sumus . Disciplinam colimus , & intra mœnia castra sunt : ubique Martis ipse terror , cum in armis Iuventus , atque adeò cum inermis . nostræ vires in manu potius , quam ferro : viribus , non tormentis fortes sumus ; sed animis invicti . Strenuum poscis Duce ? Belga dabit . Militem ? Belga . atque id inconcussi animi signum , quando is qui dicit , pugnare promptus peritusq; : qui pugnat , ducere . immo id faventis victoriæ signum , quando commune periculum dux milesque subeunt , sine discrimine discri- men . Si quis ad vocem præcipientis piger , facto concitatur ut pugnet . optima tuba manus & industria ducis , cum exemplum ipsum pro imperio . Belga igitur , quia ducendi periti , & pugnandi prompti , quovis militiæ gradu ad gloriam properant , manifestaque virtute quam dignitate eminere . Ambiunt alii titulos , & fasces , ut ita dicam , militares ; Belga lo-

gæ solâ virtutis occasione contenti. Sic educantur, sic instituuntur, ut egregia facinora, etiam sine præmio, ament audeantque: lætiores, si mereantur honorum titulos, quam si accipiant. Igitur nostræ Iuventuti (Romanum elogium usurpabo) non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus est, non armatus hostis formidolosus. *Virtus omnia domat.* Se quisque hostem ferire, murum adscendere, confisci, dum tale facinus facit, properat. eas diritas, eamque bonam famam, magnamque nobilitatem putat. Barbarum verò ac planè truculentum, armorum furore si quis in civem sæviat. Hostem nemō nisi publicum habet, & inimicitias quisquis suscipit, imprudentis nomen incurrit; quisquis longâ vindictæ cupidine alit, insani. Per hanc quidem culpam, sani sumus, prudentes sumus. Innatus candor & niveum illud frigus repentinæ omnes ebullientis animi maculas abluit; pedem ira non figit. Siqui pugnant aut rixantur, mox à ferro aut jurgio fœdus est, nec fides occulto ullo odio vacillat. In hostem verò acres & sævi sumus, cùm petimur; & cùm pro Patriâ pugnandum ac P R I N C I P E, impavidos

-----cruenta

Per medias rapit ira cædes.

Exempla obvia, & cotidiana sunt; &, ne longius abeam, in Patrio meo solo. Venlonium laudo, cognominem huic urbem: Funus, flamma, cinis erat, nisi plus pectora Iuventutis nostræ quam mœnia valuissent. non vim hostilem tantum, sed pæne

Fortunam fregimus: quasi irato Marte gerere bellum
 debeant, qui prælionobis repulsi. Iam in ultimo no-
 Ætis senio & silentio admotæ muris machinæ erant,
 scalæ erectæ, cùm portarum claustra, veætesque, adfi-
 xi tormenti fulmine & fragore dissiliunt. jam in pro-
 pugnaculum, quod inter geminam portam Mosæ ri-
 pam munit, hostes evaserant, parique fortunâ pro-
 perabant in urbem. Restitit Juventutis virtus, votûm-
 que hostile, ductu fortissimi & invictissimi Herois
H E R M A N N I Comitis D E B E R G H E, Equitis Au-
 rei Velleris, Gubernatoris Geldriæ, quâm felicissimè
 elusit. Mulieres pari audaciâ, quasi fatum urbis pro-
 pulsaturæ, mixtæ viris ac pæne nudæ (noctis nego-
 tium erat) rem gessere, omnique telorum genere in
 subjectos detonuere. Igitur ingenti strage hostes re-
 jecti; &, versâ rei facie, qui oppugnatum venerant,
 oppugnati sunt. Ejusmodi pericula, imò ejusmodi ex-
 empla, in plerâque Belgicâ sunt, & quia cottidiana,
 minori famâ celebrantur. Non minor jam virtus, sed
 minoris est, quâm olim fuit; quia paria cum Antiquis
 facimus, neque æstimantur. Ceterum, quos vetus fa-
 ma commendat, Coclites, Scævolas, Cloëlias, Bel-
 gica nostra habet, etsi non celebrat: & in omni Ju-
 ventute invenire est, quos ipse sibi Gradivus, si bel-
 landum, commilitones adscribat. Vitam quidem
 militarem ad hunc modum instituimus: an & Rusti-
 cam addam? omnino, ut Pacis imagine quadam frui
 videamur, septi undique diurno horrore belli. Nam
 si agros lustres, & robustam illam Juventutem, in con-
 tinuo rerum omnium metu ac motu læta tamen tran-
 quillitatis

quillitatis consilia atque negotia molimur, quasi cládibus & Fortunā ipsā majores. In viciniā hōltis messem accedit? arvum novo semini subsecamus. Mapalia exussit? horreum excitamus. Armenta abegit? spem gregis novā adoptione renovamus. Magnus profectò animus, qui sub tanto malorum onere non fatiscit. Sed noster agricola ingenio calamitatem Fortunæ mitigat, industriā superat, frumentationes, plantationes, infestationes, & reliquum rei rusticæ cultum, pñne invito cælo, invito solo, obit. Eumdem hortum ad usum & delicias habet. cùm pulvillo & areolas distinxit, languentes alibi herbas immisso rore roborat, parturientium alibi florū semina excipit, morientium alibi plantarum orbitatē herede surculo pellit. Ligone, aratro, rastro, magnæ matris fœcunditatē etiam segnem urget: et si huic maximè curæ intentus, ne segnem. Sol aut aura peccet, Patriæ tamen glebæ felices sunt; quia motu colentis & labore incalescunt, sudore irrigantur. Imò verò pñne infelices sunt, quòd fœcunditate suâ bellum alant, & longam hanc seriem malorum. Rei Rusticæ Venatio quoque pars est, et si aulæ hæc servit hodie, & à meliori Iuventute frequentatur. Seu ludum, seu pugnam censeas, nostra hæc sacra sunt, & venandi felicissimā peritiā Dianæ litamus. ut somnum quisque excusfit, & in Auroræ conspectum prodiit,

Aut trudit acreis hinc & hinc multā cane

Apros, in obstanteis plagas:

Aut amite levi rara tendit retia,

Turdis edacibus dolos,

Pavidumque leporem & advenam laqueo gruem

Iucunda captat præmia.

Etenim in montibus & silvis Patriæ fatum si quis examinet, dicat cum solis feris nobis esse bellum. Sed species tantum belli est; & hoc velut rudimento corpus animumque Marti præparamus. Accedunt Piscatio, Natatio, in primis Navigatio, quibus, non dicam exemplo, sed miraculo Belgæ sunt. Audent non audenda, & quasi extra periculum conatus,

Non tangenda rates transfilunt vada.

Tellus, an Neptunus nos gerat, animi in tranquillo, imò pæne in arbitrio nostro utrumque elementum. Terræ marisque incolæ sumus; & diffuso, diviso orbis contubernio fruimur, cauti magis, quam cupidi, in omni re & merce. Nam & Mercurius noster est; sed emolumentum, quod cum turpitudine, aversamur. Divitias alii; sine fraude partas Belgæ glorientur. Maximum damnum, honestatis putant; cùm, ut res nostras augeamus, alienas immi-
nuimus. Cupiditatem nemo fraudibus accedit; sed suæ quisque utilitati servit; sedulus, ne injuriam capiat; religiosus, ne faciat. In omni commercio honestissimum Naturæ consilium sequimur, ut turpe lucrum putemus, quod alieno damno crescit. Scitè Chrysippus apud Ciceronem: *Quis stadium currit, emit & contendere debet quam maximè poshit, ut vincat; supplare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet: sic in vita sibi quemque petere, quod pertinet ad usum, non iniquum est; alteri subripere, ius non est.* Iuventus nostra, tamquam in ipsis tabernis Chrysippum audiat,

in

in emundis vendundisque mercibus sine mangonio versatur. Cùm pretium effert, vitia quoque indicat: nec celasse tantum, sed tacuisse, injuriam putat. Nemo verba timeat, aut vocis blanditias damni suspectas: ut emas, non ut malè emas, allectaris. A naturâ suâ hanc peccandi audaciam impetrare non potest, ut fallere Belga, aut alienis velit spoliis facultates suas augere. Humanus est, solicitus est, sincerus est. Putes non in tabernâ, sed in scholâ; non ad lucrum, sed Virtutem instrui. Nulla igitur hîc verborum impostura, nulla mentis. Omne promissum, omnemque contractus rationem Candor & Fides comitantur. Alias artes alibi invenias, apud Belgas magnâ opes infamiâ laborant, quæ in arcam veniunt fraude. Itaque Iuventutis illa manus, quæ sacris Mercurii operatur, sine fraude astuta est, sine dolo callida, sine fuco blanda. Recti honestique studio adolescit simul & ditescit. Mores nostros an leges inspicias, fallere atque falli alienum est. Fallere Belga fugit, falli cavet; gentisque moribus, imò legibus, Injuriæ damnum, decepti; macula, decipientis putatur. O candorem recti justique animi! laudandum in sene, admirandum in juvene, cùm nullæ vitorum fœtidiores nebulæ se admiscent, aut certè uno hoc radio diluuntur. Vnam aliquam virtutem in Belgis admirari difficile est: & tamen omnes, superbū. Omnes laudo, cùm Candorem; quia profecto niveum pectus virtutum omnium domicilium est. Itaque in Iuventute nostrâ Prudentiam & Iustitiam candor, Temperantiam & Fortitudinem candor indicat.

Quid
Inacteq.

Quid secundi ordinis dotes, Magnanimitas, Liberalitas, Castitas? pñne à Natura sunt, & originem à candore habent. Sed Iuventutem magnanimam esse, liberalēm esse, agnatum quis putet ætati decus? quid castam esse, & severā cogitatione omnem libidinis impetum coercere? Magnæ & adultæ mentis opus est, ideoque inter summas Iuventutis laudes habendum. Aliæ virtutes semina quædam in omni ætate habent; at Castitas vim Naturę infert, Adfectum domina, & Voluptatis omne regnum austерitate suâ confringit. In periculis robur laudo, & cùm dejici possis, corpore animoque rectum esse, immunem ab omni casu. Iuventutem nostram scio Iuventutem esse: incalescere etiam flammâ suâ solet, sed honestâ; ignem tangere, nec audiri. Nempe omnis sine libidine Amor est. Dicant alii:

Qui è nuce nucleum esse volt, frangit nucem:

Qui volt cubare, pangit saltem suavium.

Nostri Iuvenes puro ore, purâ mente libant oscula, casti in cottidianis epulis, tripudiis, lusibus: sed ad exemplum hilares; cùm, sive in publico sint, nullis spectaculorum illecebris; sive in privato, nullis conviviorum irritationibus animum finant emolliri. Hac severitate integrum corpus ad nuptias ferunt; nec ultra extra matrimonium Venus. Addo felicem thalamum, fœcundum liberorum auspicium, constantem viri uxorisque copulam, dum pari rudimento tori initiantur.

Nullis polluitur casta domus stupris.

Apud plerasque nationes vix pubertatem nuptiæ expectant,

spectant, & præmaturâ libidine exhausta Iuventa, in ipso flore vitæ clangescit. Rectè Cicero: *Libidinosa & intemperans adolescentia effætum corpus tradit senectuti.* Hinc liberorum languidi natales, enervatum robur, brevi limite circumscripta vita. Nostris moribus simus, ô IUVENES, nostrisque legibus; posteritatem habituri, quales sumus. Illi boni, & hæ bona sunt. si mores censeantur, sic vivimus, quasi superfluæ leges; si leges, sic constringimur, quasi corrupti mores. Sed nos Naturâ primùm, deinde Institutione boni sumus, morumque constantiâ omnium legum iram cavemus. *Quid impunè audeas, ubi nullum sine pœnâ crimen? severam indolem quomodo ad nequitiam deducas, ubi nullo exemplo peccatur?* Aristippus Philosophorum præstantiam æstimare solebat, *quod sine legibus bene vivерent.* At enim vicinum scelus est, cùm in fundo & finu fomes hæret. Casta esse Iuventus non potest, nisi sobria sit. Hac verâ infamiæ nebula plerique obruimur, quasi poculis strenui, irriguam Baccho mentem ad omnem vitæ luxum solvamus. Faceat calumnia. Regna quædam vini, sed velut sacra, habemus; & incalescere vernaculus Patriæ mos est: ut contractæ intentiore vitâ nubeculæ, hilaritate dispellantur. *Quid autem? vitio tu id ducis? ego laudi.* Remittendæ quandoque vires, non solvendæ; & laxare vino animum honestè licet, curis aut laboribus fatigatum. Etiam dico? Suadet Seneca, severus ille virtutis doctor, *nonnumquam & usque ad ebrietatem veniendum.* Eluit enim curas, & ab imo animum

M. movet

movet, & ut morbis quibusdam, ita tristitia medetur: Libérque, non ob licentiam lingue dictus est inventor vini; sed quia liberat servitio curarum, animum & adserit, vegetioremq; & audaciorem in omnes conatus facit. Sed ut libertatis, ita vini salubris moderatio est, & Solonem, Arcessilaumque induluisse vino credunt. Catoni ebrietas obiecta est: at facilius efficiet, quisquis obiecerit, crimen honestum, quam turpem Catonem. Audiamus porro Sene-
cam: Sed nec sape faciendum est, ne animus ma-
lam consuetudinem ducat: & aliquando tamen in exultationem libertatemque extrahendus, tristisq; sobrietas removenda paullisper. Nam sive Graco Poëta credimus, aliquando & insanire iucundum est; sive Platoni, frustra poëticas fores composuit pepulit; sive Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mixturâ dementia fuit. Non potest grande ali-
quid & supra ceteros loqui, nisi mota mens. Cum
vulgaria & solita contempsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit gran-
dius ore mortali. Non potest sublime quidquam &
in arduo positum contingere, quamdiu apud se est.
Desciscat oportet à solito, & efferatur, & mordeat
frenos, & rectorem rapiat suum, eaque ferat, quo per
se timuisset ascendere. Vberius ista, non ut e-
brietatem, sed hilaritatem laudem. Nam & virtus
delicias alias admittit, & Litteræ remissiones. A-
lendus

lendus animi ille vigor optimo Telluris succo , & calente Bacchi aurâ , non tantum ut sani , sed vegeti robustique simus . Si quis tam austero rigidoque judicio , ut ne Hilaritatis quidem nomen sufferat : næ ille Naturæ infensus , omnis amœnitatis fructu Genium defraudat . Exteri aliqui hac severitate tument , omnemque periisse Iuventutem existimant , quæ moderato mero abluere subrepentes tristitiaæ imagines solet . Non quicunque maduit , mersus est , citra ebrietatem hilaritas consistit . Et tamen prodeant in arenam sobrii isti , secchi isti , & qui pallore boni sunt , ac de Virtute cum Belgis decertent . Scilicet audiunt , sed audent quoque sobrii , quæ nostri horrent etiam ebrii . In ipsis metuenda & suspecta sobrietas , in Belgis verecunda & laudata ebrietas est : malitiâ isti , at hi errore peccant . Id pulcherrimo exemplo Dionysius olim ostendit , temulentis conviciis ab adolescentulis duobus non leviter laceratus . Re delatâ , ad cœnam utrumque vocavit , cùmque animadverteret alterum largius potum , planâ mente , pleno ore nugari ; alterum raro cautèque bibere : illum dimisit , tamquam Naturâ vinolentum & temulentia maledicum ; hunc interfecit , quasi studio malevolum & hostem . Sed non hoc ago , ut indulgentiam vitiis ab errore conciliem .

Nimis vil' est vinum atque amor,

Siebrio atque amanti impunè facere quod lubeat licet.

Virtutum mater , Sobrietas est . Quid ergo ? Accusator , immò castigator adsum , sed , nequis erret , vinolentie , non

M 2 Iuventu-

Iuventutis. Et nos scimus voluptates , cùm modum
transcenderint, pœnas esse: cavemus. Si qui negligunt
& furoris habitu à se cottidie exulant , Belgici nomi-
nis & laudis exfortes sunt. Aliquos esse non nego; sed
privato vitio , à quo nulla infamiae nota publicis mor-
ribus adhæret. Quid malum ! unus aut alter , aut plu-
res etiam , suis tenebris universæ Iuventutis gloriam
involvant ? Aureum illud Solis jubar deliquio macu-
latur , & pallida Lunæ facies noctis colore tingitur;
nubes ipsæ ætheris benignitatem remorantur : nemo
tamen aut Solem , aut Lunam , aut cælum reprehendit.
Quidquid in universitate pulchrum , defectum
aliquem admittit : & nostra hæc Iuventus. Sed obse-
cro , ut in pessima quæque studium novitatis trahit !
certare poculis magnificum , vincere gloriosum in-
primis advenæ putant ; & qui accusare virtia nostra ab-
sentes solent , cùm advenerunt , exercent. Etiam ho-
rum insaniae adulabor ? Cæli & soli quadam culpâ fit;
& à regionis temperie consuetudo. Nam si curiosius
situm climatis naturamque lustramus , poculorum
usum etiam sobrietas producit. Etenim frigida & ste-
rilis hæc aura , quæ à spirante axe constringitur ac ra-
reficit. Turbidas aut nubilosas fæces excernit Aquilo;
& sic constrictus aër alimentum à vicino elemento
haurit: pariter corpora humana , à cælo & aëre affecta.
Nam velut exhausta & succicupida , ad omne pocu-
lum robustam ferunt sitim; quodque mirandum , ipso
frigore æstuant. Æstuat nunc etiam LAVDATIO mea,
longo dictorum ambitu , velut flexu. Succrevit enim
cum ipso encomio Iuventutis , etiam Virtus , velut
conter-

contermina seris canisque rugarum annis. Intrà fines
igitur cohibendus hic impetus , ne extra ætatem lau-
des producam. Non enim quæ fiunt egregiè, sed quan-
do fiunt, explicanda. Ideoque sistet vocem meam Iu-
ventutis ætas ; Laudem tamen suam non sistet. Felix
Virtutis impetus, qui annis non clauditur; inverecun-
dus Vociis , nisi clauditur. Non quæcunque dici pos-
sunt, dicenda; sed quæ decorè ac modestè dici. Id fa-
cio , & anhelantem per longinqua virtutis vestigia
Suadam, intra ætatis laudandæ fines compesco. Minus
dixisse turpe non erit, cum etiam tacuisse quædam,
Famæ opinionem extendat. Audet alienæ ætatis fa-
cinora Iuventus ; quæ si laudo , aliam laudare ætatem
videar. Audet tamen , tamquam sua , imò tamquam
ætati conjuncta; & simul florere quis ingenio cœpit ,
maturuit. Nemo annos exspectat: vernanti etiam fron-
ti severitatem animus compositus imperat, Iudiciūm-
que Natura, priusquam corpus , firmat. Putes in Bo-
nam ætatem dignitatem senii cadere. Quid mirum ?
in Belgicâ Educatione atque Institutione , ut prima
cura animi ; sic quoque maturitas. Tamquam corpus
satis anni provehant , pars illa melior omni industriâ
nutritur. Arbiter esto , quisquis voles , quos Iuvenes
censeas , Senes sunt : eâ tamen modestiâ atque indu-
striâ, quasi in rudi adhuc virtutis limine constituti.
Hoc pulchrum, discere pulchra, cum acquisiceris ; ex-
ercere, ne frustra didiceris. Sic ætate suâ Iuventus non
contenta, senilem adfœctat ; & cum annos non potest ,
mores exprimit. Paucis : quod Natura negavit, Virtus
imperat ; cumque diutissimè vivitur , non perfectio-

M 3 rem,

rem , sed diuturniorem Virtutem habemus; Laudem verò pro augmento ætatis. Nam non remittere vires, cùm firmaveris, arduum; ac pæne difficilius sistere in culmine gressum , quàm ferre. Lucretii absolutum dogma est:

*Sed nil suavius est benè quàm munita tenere
Edita doctrinæ sapientum templa serena.*

Hoc igitur decumanum Iuventutis elogium , Priùs Virtutis Doctrinæque ornari senio, quàm ætatis; sed nullo ætatis declinare. Tenete hanc viam ô I V V E N E S , imò hanc mentem , veræ & indelibilis Famæ securi. Bonam viam bonus ille æternusque , quem audistis, ostendit, mentem Natura: ut non minus facile quàm gloriosum videatur , tenere. Etenim sequi Naturæ ductum, facile : boni doctoris, gloriosum. Insevit illa primum Virtutis semen , Verecundiam, hic eduxit; dedit illa ingenii vires , hic auxit: omnem illa ostendit honesti rationem, hic edocuit. Breviter : universam hanc L A V D A T I O N E M meam utrique illi debetis. Nam eloquium quid ego hīc vano schemate jactem ? Facilis in uberi argumento oratio est. Rem verbis secutus sum , & velut qui sterili imitatione præfixos

----ducunt è marmore vultus,
Inventione abstinui. Quid laborioso acumine plausum ingenii capto ? ut speculum , sic elogium est: quam capit imaginem , reddit. Boni, docti , prudentes estis ? tales laudo : ingeniosi, industrii, elegantes? tales orno. Dictionis meæ limites , vestræ dotes. A libi læto liberoque motu vagatur elocutionis calor, & lu-

& luxuriat: cùm laudes pangendæ, castis sobriisque exempli sui lineis coërcetur. Ego quidem circumferre Famæ hanc facem possum, accendere non possum. quanta seu gentis, seu ætatis cujusque virtus, tanta lucet; nisi diffusiore aliquando radio, cùm, remotis silentii nebulis, gloriæ viam scriptores laxant. Vos quales estis, ô I V V E N E s, este, id est, quales descripsi. Eritis autem, si & benignæ Naturæ auspicio, & magni Doctoris ductu, & nunc L A V D A T I O N I S hujus velut classico animi orisque rebellatem barbariem ex omni vitæ doctrinæque commercio depellatis. Non jam domanda, sed delenda inertis ævi vitia sunt, sæpius victa, & incruentis Philologiæ armis magnum Apollinis regnum constitendum. Irrito voto scientias discimus, priusquam linguas; & animi exuimus squalorem, quamoris. Magna profectò pars mentis, eloquium est, magna stilus. Vtroque opus, ut supra sordes ineptiæque dignitas bonarum artium provechatur; imò utroque opus, ut in Rempub. se fructus Athenæi nostri extendat. Vanâ ingenium diligentiam fatigant, quos immatura magnarum scientiarum cupiditas à Musarum contubernio abstraxit. Hic Naturæ ordo, imò necessitas, ut è flore fructum speremus: idem in artibus, quarum pars illa, quæ Mercurium & Philogiam spectat, amœna, florida, & maturitatis velut parturiens quædam origo. Nec præmitenda solùm scientiis Litterarum amœnitas, sed miscenda: tamquam Naturæ exemplo, quæ feraçissimos campos, & flavam illam Cereris faciem

non

non unâ colorum venustate distinxit. Musarum fontes perennes sunt, ut in omni ætate, in omni arte libes. Quid opinione decipimur? Sacra, Iura, & quæcumque altioris notæ studia his fulcris nituntur, his deliciis ornantur. Ut rorem & imbrem (ad Naturam iterum eo) etiam adultæ segetes poscunt: ita scientiæ Litteras. & extremâ quoque senectâ non minùs succo quam cibo opus, ut alamur. In omni convivio, cui Hilaritas præst, poculis fercula irriganda sunt: & Philologiæ illo nectare magnarum artium siccitas aut severitas. Ego nunc vobis, ô I V V E N E S , post magnum æternumque virum, Promus, ut ita dicam, à Serenissimis PRINCIPIBVS, ORDINIBVSQYE constitutus, illius exemplo, è Musarum penu delicias daturus sum. Volentes este, frequentes este; nec magni illius Doctoris alumnum audire pigeat. Non, quia ille Scholam, urgente fato deseruit, Litteræ nobis deserendæ. Cùm Sol recessit, in noctis præsidium nova lumina Natura accedit. Sed Naturæ exemplum Patria expressit, ne illunem planè noctem Litteræ haberent. Hoc agite, hanc vincite, & è vobis sidus aliquod date, quod redivivum humano generi diem reducat.

D • x i.



EXER-



EXERCITATIONVM
PALÆSTRAE
BONÆ MENTIS
EPIDIGMATA SELECTA:

N Quibus Candidus cordatusq;
Lector intelliget , quid bre-
vissimo temporis spatio , inge-
nium non omnino rude pos-
sit , si Litteras & Eloquentiam
æstimet : valere tum demum
scientias , cùm elegantiæ accedunt . Specimi-
na sunt , & sic veniâ digna , si quid minùs
exasciatum . *In omnibus prius est spei rudimen-*
tum , quām rei experimentum . Et primus iste an-
nus est ; hornum duntaxat fructum habet . Non
quantum exigis præstamus , sed promittimus .
Adsint , qui proficere velint , qui dignam labo-
re aliquo eruditionem censeant ; & PALÆSTRAM
æstimabunt .

N

IVSTI



I V S T I M V L D E R I A S C A N I
P A L Ä S T R Ä B . M .
 ARBITRI
 Ad Academicos Allocutio,
*Cum Numisma Principis à Directore
 acciperet.*

PRINCIPIS imaginem gestare , quid
 quantūmve sit , jam tum experior , cùm
 hic fulgurantis auri color , corpus ani-
 mūmque cœpit irradiare . certè depositâ
 quâ nescio mentis nubeculâ , hilior
 alacriórque exsurgit animus , diuturno alioqui situ , &
 inerti torpore marcidus ; quod & circumstantibus
 Συναγωγais meis evenire video . Tantùm itaq; superest ,
 ut favore vestro nos prosequamini , & teneris nostris
 conatibus acclametis vetus illud : F E L I C I T E R , F E-
 L I C I T E R . Vos autem , quos exercet pulpiti clamorius
 honor , studiorum dico Antistites , & Professores ; gra-
 vioribus nostris studiis tantillum temporis nos suf-
 furari patimini . Non h̄ic æstuans Naumachiæ furor
 pelago nos immergit : non Theatricus error leto nos
 destinat , aut pernitieci : Eloquentiæ , BONÆ QVE MENTIS
 PALÄSTRA est . PALÄSTRA , quæ interficias solum-
 modo

modo horas solido de die demit, & quidem fortè illas, quas alii aliis impendunt rebus. Non igitur futuros putamus ullos, qui ob id nobis succenseant, multo minus rideant. Dixerat Cicero: *Ceteros pudeat, si qui se ita Litteris abdiderunt, ut nihil ex his neque ad communem adferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre possint.* Hanc ignorantiae notam evitare si non possumus, connamur certè; ut feliciter dabunt Superi, & vester favor: quem ut hisce Auspiciis pertinaci animorum consensu, & aurium attentione PALÆSTRAE exhibuistis; ita Exercitationibus & universæ PALÆSTRAE tribuetis.

DIXI.

NICOLAI BVRGVNDI
DE GRADIBVS
AD ELOQVENTIAM
ORATIO.

QVERI solent homines, cur in hoc renascen-
tium Litterarum vigore, aut omnino nulli re-
periantur eloquentes, aut perpauci. Naturam
quisquis intuetur, & quam matrem agnoscit: lassam &
effetam putet, si in ipsos partus declinet cogitatio.
Quotusquisque nunc Demosthenis, nunc Ciceronis
ad summam processit? quis gravitate Livium, quis
Sallustium brevitate adæquat? nam & Ovidium & id

N 2 genus

genus Poëtas omitto , quibus est facilius subsilien-
tem alterno pede Musam sollicitare ad numeros, quam
nobis latinè loqui. Magnos omnino Musarum hic
confessus nonnullos agnoscit ; quia verò illos à priscâ
eloquentiâ solo temporis intervallo fortuna secrevit,
liventi oculo famæ tacentis perstringuntur. quos ta-
men si ferax ingeniorum commendatríx que tulisset
antiquitas , velut cælo missos haberemus , & præsen-
tes deos. Ceteri aut vix sciverunt , quâ iretur ad elo-
quentiam ; aut controversiarum sententias timue-
runt vibrare. Viam si quis querit , ardua est , diffici-
lis est , & quam sine frequentissimo pervigilio nemo
confecerit. Errant etenim , meo judicio , & in sum-
mâ opinionis perversitate canescunt , qui tam faci-
lè putant eloquentem fieri quam sutorum. Neque
enim furtivos quisquis eliquat sententiarum cento-
nes , horrendum continuò perlustravit eruditionis
secretum. Gradibus etenim opus , & perfectum hoc
dicendi culmen non perfunctoriè quisquam ascen-
derit ; nemo denique gressum illuc sine ductore di-
rexit. Mollis , ut ita dicam , & caduca juvenum ætas:
allisusque semel ad metam , in hoc vitæ flexu , te-
nells impetus , moratur tanquam in scopulo , & ex-
tinguitur. Quippe vix editi in lucem , vix educati
simus , quin continuò caligine pravitatis circumventi ,
errorem cum lacte nutricis hausisse videamur. Vtq;
pertinaci lectione mitigandus animus , & cum præ-
textâ puerili sensim induenda sunt severitatis elemen-
ta. A teneris si inceperis , facile tecum naturam tra-
hes. Nam , ut ait Plautus ,

Qui

*Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat suo,
Vtrum id ita ne esse malum velit, ut eum animus aequum censeat;
An ita potius, ut parentes eum esse, & cognati velint:
Si animus hominem perpulit, actum est, si animo servi-
vit, non sibi.*

*Si ipse animum perpulit, dum vivit, victor victorum cluet.
Proinde Socrates in Platonis Republicâ hominem di-
xit institui oportere ab adolescentiâ, ut officiosus ad-
olescat, & his gaudeat, quibus gaudendum est; &
doleat, quibus dolendum est. formatur enim discipli-
nis tenera ætas, ut cera manu artificis; siquidem illis
annis naturâ tenacissimi simus: quidquid perceptum,
durat, ac velut recentis testæ primus liquor nun-
quam evanescit. Quis Lacones à severitate, aut Asia-
ticos à luxu dimoveat? ceterùm cum illis virtus ado-
levit, in his ne fucus quidem unquam enituit. Quid
mirum? blanda parentum indulgentia primos annos
deliciis immersit, neque marcentes unquam permi-
sit ad meliora erumpere. Mollis illa educatio juventu-
tis enervat animos ad magna surgentes, & sopit. Eru-
ditionum radios non admittit, quisquis interpositâ
nubeculâ viam præcludit: nunc verò, quid aliud est
infantiam deliciis solvere, quàm bonitatis umbram a-
nimis objicere marcentibus, ne virtutis obsequio ve-
stigiis bona mentis insistant? Non est igitur, quòd na-
turam accusent homines velut novercam, & perficitâ
fronte ostendant supercilium. Quòd si laboris pateren-
tur acerbitatem, continuò sese proderet ingenium, &
inerrantem vulgi métibus eraderet opinionem. Nunc
verò cùm extra luxum & divitias nihil crepant, neces-*

N 3 se habent

se habent, ut inquit Arbitr̄, cum insanientibus furere. Plerique tamen eorum adeò ambitiosi, ut, cùm ne spiritum quidem Litterarum ferant, excellentes tamen viros in eâ arte quovis modo in notitiam trahant. non quòd verè ament, sed ut his Mercuriis utantur ad laudem; & quam merito suo famam non inveniunt, alienis alis sustineant & explicent. Planè, quasi is studiorum quæstus sit, alienæ ambitioni inservire. O cæcas hominum mentes! Gloriam verè nesciunt, quia virtutem non amplectuntur. Neque extra virtutem gloria, neque sine gloriâ virtus elucet: adeò hæc juncta atque indiscreta sunt. Virtus gloriam secum trahit, ut corpus umbram: gloria virtuti resonat ut imago, & rectè factorum plerumque comes est, ut inquit Ciceron: rectè autem facere, quid aliud, quam virtutem amplecti? At enim virtutem amplectitur, qui mores animûmque tingit melioris doctrinæ succo. mores animum componunt, sed è profundo sapientiæ penu de- prompti. animus autem in bonos mores suâ sponte declinat, ubi eruditus est: erit autem, si asperioribus studiis ab incunabulis assuescat. Atque hic primus ad eloquentiam; addam? primus ad virtutem ac duraturi gloriam nominis gradus est, severitatis inire commercium. Etenim eloquentia ipsa virtus est, & præterquam in virum bonum haut cadit. Neque facile bonus non potest esse, qui in assiduo virtutis enutritur contubernio. Nam cùm metas honestatis extendere, parique librâ trutinare cum utilitate Philosophorum sit sudor, etiam eloquentium est: quia ita conspirant hæ disciplinæ, ut extra alteram prorsus altera

altera deficiat; denique altera non proferatur in populum. At verò si exemplis standum est, Ciceronem nemo Philosophum, aut Aristotelem negaverit fuisse eloquentem. Quorum ille ex Rhetore Philosophus, hic ex Philosopho factus est Rhetor, eloquentiam alter in Philosophiâ, Philosophiam alter exercuit in eloquentiâ; & uterque suo studio delectatus, alterum non contempsit. Proinde sapienter Poëtæ soli Mercurio caduceum adsingunt. sermonis iste thyrſus sine prudentiâ non penetrat: absque sermone, prudentia obmutescit, & suffocatur. Sed ut firmiorem utriusq; nexum ostendant, insertam Mercurio Minervam, unico verbo dixere, Hermathenam. Multi tamen in eâ sunt opinione, ut Philosophiæ suæ religiones & arcana nullâ verborum amœnitate audeant profanare. Sed nescio quibus verborum monstris Aristotelis nitorem deturpent. Et hæc ipsa tolerabilia essent, si in scopum facerent quodammodo compendium. Nunc verò stridenti verborum sartagine hoc tantum proficiunt, ut cùm brevitatem itineris affectant, nodo velut Gordiaco concludant veritatem, & ab immani Charybdis allisione declinantes, æstuantibus Scyllæ objiciantur vorticibus. Hinc frequens illa de verborum tricis (dicam trugis?) controversia. hinc enormi luto arcana philosophiæ involuta, lacerantur in partes, & disputantium latratui exposita veritas, torquetur ad exitium. Denique si expungendæ sinceritati centonem quisquam eorum adulterinum effoderit, continuò sese putat aut Saturnum cælo, aut iratam Iovi conciliasse Iunonem. Magnum profectò
obum
operæ

operæ pretium , atque in Vlyssis utrem damnandum ;
 ut cum ventis erumpentibus spargatur in Oceanum,
 faciunt (Terentii verbis utor) nœ intelligendo ut nihil intelligant ; eoque inutiles illos verborum scrupos enodant ,
 quia tertiam , eamq; pulcherrimam Philosophiæ partē
 aut nesciunt , aut omnino contemnunt . Primus omnium Socrates Sapientiam è cœlo devocavit ad domos :
 & de quibus philosopharentur homines , etiam in tabernis invenit . Cujus exemplum secutus Plato , membranis inseruit doctrinam sapientissimi viri , monumentoque donavit æterno . At nos quidem paratas artes audemus attingere ? Iacet præterea priscus iste vigor eruditioñis , & sine succo suo nequit exsurgere . Succus autem eloquentiæ , Philosophia est ; alta illa , divina illa , operationis limites non excedens . Siquidem Virum Bonum sola Virtus indigitat : quomodo sine illâ potest aliquis dici eloquens , cùm hunc optimum velit esse Quintilianus ? Neque in sordidam mentem cadit scientiarum cultissimus nitor . Volvuntur enim in cœno sensus , vitiorūmque caligine oppressus animus , nullos omnino sapientiæ radios , aut quam maximè obliquos , admittit . Idcirco Boëtius à π dixit esse ascensum ad : hoc est , à practicâ ad theorema . Illud ipsum Arbiter paullo distinctius hoc carmine perstringit :

*Artis severæ quisquis amat effectus ,
 Mentemque magnis applicat , prius more
 Frugalitatis lege palleat exactâ .*

Neque ego sermonem sordere volo , sed in hoc puritatem quandam inesse , ut sententiarum quodammodo

modo continuo nexu stili exoneretur atrocitas. Duo-
bus autem modis id fiet, Lectione & Exercitio. Sit
autem lectio frequens, & attenta, quæ vel minima
quæque sine rabiosâ taciturnitate non liguriat. Inter-
vallo igitur opus, & sub unaquaq; distinctione suspen-
dendus est præceps spiritus, uti per hujusmodi ri-
mas admissa cogitatio, aut rem ipsam perlustret in-
terius, aut denique aliquid semper effodiat, à quo
stili postmodum junctura limetur. At nisi continuo
usu percolamus ingenium, velut agros solent dili-
gentes agricolæ; infœcundum sterileque permaneat.
Mortalium animos natura dotat, industria perficit.
Bonas artes Superi laboribus vendere solent, non in-
stillare; Musâsque in Parnasso sedentes somniavit an-
tiquitas: nemo tamen ad illas nisi vigilando perva-
nit. Nam qui in forum negligentius properant, ple-
rumque loquaces sunt, ac nescio quo verborum tu-
more semper aliquid strepunt, ita ut ab eloquentiâ
longius abesse videantur, quam ab ignorantia. Pro-
fectò in rostra prodeunt, non ut doceant, sed tan-
tummodo ut audiantur, & fermentum vomant. Sci-
licet sese tum ornatè dixisse putant, ubi aut sesqui-
pedali termino sententiam claudunt, aut petulantî
verborum saltu lascivientes, scloppo tandem buccas
rumpunt. Neque ego tamen lumina reprehenderim
in clausulis posita, sed in his frequentiam duntaxat ac-
culo: Quæ (cum Quintiliano dicam) minùs crebra a-
pud antiquos, nostris temporibus modò caret. Limbum in
veste laudamus extremæ laciniæ, atque juncturis di-
ligenter assutum. Limbus autem orationis, senten-

O

tiolæ

tiolæ sunt, non turgidæ istæ & inanes, sed vibrantibus clausulis expreßæ: curandum tamen, ne extra corpus orationis emineant, sed æquali juncturâ verborum eniteat curiosa felicitas, ut fiat, *odi profanum vulgus & arceo.* Torquenda igitur quotidie sunt oratorum monumenta, & curiosâ sciscitatione ablatandus est Poëtarum succus: ab illis enim expugnabimus nexus orationis; ab his arcana neglectæ vetustatis mysteria. Præterea curandum est, ut quos eorum exprimere proposuit studiosus adolescens, quotidianâ exercitatione imitetur. Sed de exercitatione nihil dicam. Clarissimus enim Director noster, ERYCIVS P VTEANVS, novam dicendi rationem introduxit, quæ ad formandam eloquentiam vel sola videatur sufficere. Novam inquam, quia in hoc celeberrimo Athenæo non usurpatam priùs. Video tamen ad hanc PALÆSTRAM plerosq; veterum accessisse. Cicero enim ad Præturam usque Græcè declamavit, Latinè etiam senior. M. Antonium, Cæsarémque Augustum, ne gravissima quidem bella deterruere ab antiquâ consuetudine. Atque ut ad Imperatores descendamus, Nero bis publicè, Gordianus in Athenæo, declamarunt. Senecam, Quintilianum, Plinios, tantam denique temporibus istis admiramur profluxisse copiam? illi tamen omnes in umbraticâ PALÆSTRA se ad forum accinxere. Nam *declinatio*, inquit Fabius, *est judiciorum imago.* Et, Schola *velut ludus*, forum quasi arena quedam est. ibi armantur ingenia; hic præliantur: ibi præludio, hic pugna committitur, ait Eumenius. addo ego: ibi audaciam afflumunt, ut hîc attonita non obmutescant. Quemadmodum

dum ante pugnam, sanguine gladiatorum fascinatus exercitus, obfirmato oculo postmodum spectat vulnera morientium, & proterit: ita scholastici ab umbrâ in forum transeuntes, hominum vultus ferre, & frequentiam sciunt. O inventum, ô institutum multò utilissimum! at nescio quomodo hactenus sic neglectum jacuerit: nunc vero, Clarissime Director, à te usuram lucis accepit. Beneficium hoc tuum est: imò quantumcumque est, totum tuum est. Solus ex cogitasti, solus promovisti, totum denique transfigisti solus. Utinam mecum hoc omnes agnoscant, & probent! agnoscant, ne ingratii: probent autem, ut videantur agnoscere: reddit enim beneficium, qui debere se fatetur.

D I X I.



I V S T I M V L D E R I A S C A N I
D E C L A M A T I O
P A L A E S T R I C A.

*Pace potius quam bello clarum fieri
licet.*

NUNCILLI, opinor, homini ita sua mens obduruit,
ut tanquam obducta callo, nullis ab blandienti-
bus fortunæ illecebris, nullisque gloriæ titillationibus
O 2 capiatur,

capiatur, quem nimirum non excruciet sitior honoriis animus; tyrannus sanè crudelissimus, & non unus belli causa, sed universi propemodum generis humani pernities. Hinc enim *cædes hominum, hinc prælia nata,* & brevior diræ mortis aperta via est. Tanquam si non satis foret homines deficientibus naturæ viribus occubere; etiam bella inventa sunt, ut præter fortunarum lubricas ambages, instabiles incursionses, & reciprocas rerum vicissitudines, quibus obruitur, ne quidem etiam illis sua laniana deesset. Nimirum honoris quippiam accedere non posse videbatur, nisi priùs quam plurimi discederent, & non essent illi, quos abesse nihil utile, nihil necessum. O insipidi, o insulsi homines! honorem ambitis & gloriam, cuius fontem ignoratis, aut potius, quam facili & expeditâ viâ possetis, mavultis per flexuosas ambages, male tutas angustias, & mille pericula reperire (ut saltem fatetur bello clarum quenquam fieri posse:) is enim demum vivere videtur, qui aliquo negotio intentus præclaris facinoris famam quærit. Sed ad oreolam suam Mars habeat; dabit quoque divina è cælo missa Pax, quod imiteris, & unde nominis tui immortalem gloriam consequaris: quia, ut Sallustius ait, *vel pace vel bello clarum fieri licet.* Sed quanto pax bello potior, tanto laudabilius, pacis studio innotescere, & clarum fieri, etiam utilius. Nam, quòd si hostem tuum felici dextrâ profligaris, lauream coronámque reportaris; quid egisti? In discriben civium securitatem præcipitasti, & in fructuosa folia reportasti; mercedem forte satis amplam, si absque tuo infortunio. Sed bellî & ludi fere

In Ca-
tilinario.

ferè eadem est alea, eadem conditio, & fortuna; neutrō in loco beatur victor, sed vicitus depauperatur, aut uterque. Fit enim nonnunquam, ut, dum mutuo odio & bello colliduntur principes, utrique subvertantur, & tertio cedere cogantur, cùm alter alteri nollet. Apagē ergo bellum, abesto bellum, & omnis bello parta gloria, cùm tam caro sis præstinanda pretio. Dulcior multo, & maior est gloria, quam pacis delitiæ proferunt, ac illa, quæ tuis lèvissime, Mars, extorta minis, nihil tam sanctum, nihil tam pium habet, quod violare non audeat: gratior quoque est, quia à Deo, & Dei donum pax est. Sed in eâ se futurum magnum fortè quis desperet? viam ad honorum culmen, nominisque immortalitatem pace sterni quis neget? Næ ille vehementer erret, nam non bellorum, sed æquitatis & pacis gratiâ creati reges. Iustitiæ, non Martis mystæ sunt: & idcirco sapientissimus Poëtarum Homerus non bellatores illos vocat, sed jus dicentes; οἱ τε βέμισας πρὸς δίὸς ἐπύτατο. Bellicis verò curis, & Martiali æstu qui agitatur, justum injustum, sacrum profanum juxtâ æstimat: leges, quarum ille lator & observator esse debeat, opprimit, uno verbo, Rex esse desinit: Regis siquidem nomen non aliunde deducitur, quām à prudentiâ & justitiâ. Quâ virtutum bigâ quisquis Princeps ornatus fuerit, de nominis & famæ perennitate ne dubitet: etiam fugienti & nolenti aderit. Nam quid favorem Dei, nominisque immortalitatem magis conciliare possit, quām neminem lèdere? unicuique suum tribuere, cultum veri Dei neglectum revocare? ceremonias & sacra, Martis

O 3 indigna-

indignabundi proculcata vestigio, restaurare? Petuit
hac cælum viâ Numa Pompilius; vir ille, qui ob incli-
tam suam religionem successor Romulo dari meri-
tus est, & alter Vrbis conditor nuncupari; ille, quem
pacis studium, & in eâ, sacrorum cura, immortalem, &
universo orbi admirabilem fecit; vir ille, profectò
dignus, qui Curibus Sabinis agens vltro ad Imperi-
um vocaretur, ut quod Romulus vi & armis munire
cœperat, ille Religione atque Iustitiâ perficeret.

D I X I.



MATTHIÆ BONERI
DECLAMATIO
PALÆSTRICA.

Bellum gerendum in hostili solo.

VÆRENDS hostis, non exspectandus,
ut cum gloriâ pugnes. Etiam vilis & imbel-
lis quisque bellabitur, si pereundum sibi con-
spexerit, nisi resistat. In ipsâ terrâ hostili figenda tro-
phæa sunt, quæ loquantur posteris, fuisse, qui in ex-
ternosolo generosi pugnare maluerint, quam in suo
desidiosi quiescere. En Annibal, gloria Martis, spes
Pœnorum,

Pœnorum, terror Quiritium, è suis egressus transivit in Italos, uti Carthaginensis juventus acrius prælia-retur, ipsa telluris inimicæ calcatione facta ferocior. Hic Romanis fuit fructus Annibal is non repulsi, ut per bis septenos annos in propriis penetralibus ext-ernum senserint dominum. Hærere potuit, post-quam venit, qui non arceri, cùm veniret. Limitis hostilis conclusio, longinquitas patrii, lusco Prin-cipi prudentiam auxere, quâ regeret; militi fortitu-dinem, quâ certaret. Decretum fuit, aut Oenotriam Carthagine in triumpho ferre, aut decorâ suâ clade facere funestam. Sic deliberati bellatorum animi certissimæ caussæ plerumque victoriæ fuerunt.

DIXI.



IVSTI MVLDERI ASCANI

DECLAMATIO PALÆSTRICA.

Amor ingenii neminem unquam divi-tem fecit.

QVI solâ ingenii felicitate fretus, facilem & beatam vitam sese agere posse sperat, sperat is quidem profectò posse se molli cerâ conglu-

conglutinatis pennis, æstuantis Solis iter radere.
 Quod uti vel exemplo solius Icari nobis negatum, &
 facere est nefas: ita solâ ingenii sui acie, paupertatis
 compedes effringere, *hoc opus, hic labor est.* Nam ut
 seculi nostri tam eruditì mores potissimum culpem,
 quo unquam minoris habita fuit eruditio? jacet illa,
 & despiciatui habetur, etiamsi æstimari maximè vi-
 deatur. Extollitur, ut cum ludibrio cadat. Nemo et-
 iam tam ~~amatorios~~, qui eruditionis arbitros debito privet
 honore: quin imò si id agendum, laudabit ille ultrò,
 admirabitur, & Dei progenies tu eris, qui terræ po-
 tiùs censeri debeas. quid? aliis somni expers, duras
 tuas fores colet: scribet elogium alius, & Albo inseret:
 digerendi jam in classes, à quibus celebraris. Verùm
 nihil ultrà; & tanquam si virtutum nimius splendor,
 eruditionisque quædam raritas, oculorum aciem eis
 perstringeret, hebetaret mentem, torpore vinciret ma-
 nus; ita ad aliud omne benignitatis munus deinceps
 inepti, aut nolentes sunt: híc tum hærent, híc stu-
 pent, nec tendunt ultrà, illos credo virtute dignan-
 te. Ergò, ut breviter absolvam, pauper est, qui publi-
 co nunquam præfixus muneri in umbrâ consenuit; in-
 felix, qui *forum vitat, & superba ciuium potentiorum limina.*

DIXI.

NICO.



NICOLAI BVRGVNDI

DECLAMATIO

PALÆSTRICA.

Amor ingenii neminem unquam divitem fecit.

VITIO sit humanæ fragilitatis , ut dulcedine divitiarum correpta cupiditas , nullâ unquam satietate retardetur. Inescamur enim mortales imagine quadam felicitatis , & in hac usurâ vitæ nihil suavius ducimus , quàm fortunæ benignitate frui. Hinc adeò fit , ut animæ istæ nobiliores ad virtutem à naturâ subornatæ , in primo statim curiculo , sub infelici divitiarum fasce deficiant. Nempe dum hoc unum omnes agunt , ut genus suum inserviant alienæ nobilitati , negligunt bonas artes , & in Aulâ libentiùs quàm in Helicone versantur. quasi hoc unicum sit emergendi instrumentum. Nam quisquis irretorto oculo BONÆ MENTIS iter cœpit inspicere , nihil priùs meditatur , quàm licentiam frenare cupiditatis , & cum paupertate habere commercium. Ea enim est virtutum omnium mater : ea est regina magnarum cogitationum ; cuius instinctu

P

erectus

erectus animus, sese ad immortalitatis iter accingit.
 Quotusquisque olim ad Philosophiam aggressus, vel
 de viatico sollicitus fuit? alius labore nocturno ven-
 tris debilitavit injuriam; alius in dolio corrasa stipe
 consenuit. fuere etiam ex illo numero, qui ne quidem
 heredem invenirent. Hodie quoque, si quis sine perā
 Philosophum quærat, helleboro illi opus esse puto, ut
 sanius aliquid sentiat de hoc sacro nostro ævo. Neq;
 enim virtus in pretio est: virtutis officium nummi
 exsequuntur. Longè defecimus à majorum discipli-
 nā. Nunc enim per Plutonis ædem, templum Hono-
 ris ingredimur; præpostero sanè judicio. Nam ut
 quisque ad trecenties HS. quomodocumq; pervenit,
 continuò purpuram & fasces assumit privatis auspi-
 ciis: agrum agro adjicit, vrbes & imperia molitur:
 & ut cælum suum faciat, tantùm exspectat vendito-
 rem. Dubito sanè, an hoc hominum genus virtutem
 aliquando agnoverit: hoc tamen scio, sæpius aurum
 tractare consueisse, quam librum. Nam si quis è por-
 tico prodeat, qui domestica vitia nonnihil acerbius
 detestetur; continuò omnes hostem proclaimare, more
 majoruni sedibus extirpandum: denique nomen ejus,
 famam, æstimationem, quaquaversum commentis
 spurcare, planè, ut, si hoc præjudicio stetur, videatur
 humanitatis officium exuisse. Sic itaque jactantur bo-
 næ mentis amatores; & dum virtuti placere student,
 compositæ paupertatis onus incurruunt. Quid mi-
 rum? Amor ingenii neminem unquam divitem fecit.

DIXI.

MAT-



MATTHIÆ BONERI

DECLAMATIO

PALÆSTRICA.

*Philosophus nec divitias quarit, nec
affimat.*

CÆVM esse Plutum non frustra genus humanum conqueritur. Nam qui maximè divitiis digni, paupertatis domicilium incolunt, & fortunam coguntur accusare: qui bene vivendi rationem investigant ac tradunt, vivendi commodis destituuntur. Si rectè ealculum ponis, *Amor ingenii neminem unquam divitum fecit*: neque mirum. Non potest animus, in seipso occupatus, externis attendere. Magni labores, magnæ difficultates exantlandæ tibi sunt, quisquis agis, ut ditescas. Nunc metuis, nūc speras, etiam doles: nunquam certâ tranquillitatis statione mens Mercurialis potest consistere. Etiam eò imprudente lucrandi cupidine traheris, ut omnem patrimonii vim, ut propriam salutem, fragili navi, infido pelago, instabili fortunæ committas. O miserum! ut aliquando dives sis, periculis planè ausibus, pari itinere cum Sole

P 2

prof-

proficisceris. Et quidem, cùm plurima conquisiveris, crudeli lancinaris carnificinâ: nimirum, non satiaris. Quod miserrimum, propter inexpletam auri famem, vix unquam potes naturæ virtutis dignitatem cogitare: quasi nullum meliori contemplationi locum indulgeat insana cupiditas. Ridet Philosophus ac BONÆ MENTIS possessor vanas has curas, hæc stulta studia. mavult ille naturæ dona mirari, quām venari fortunæ. Omnis illi fluida felicitas; ne felicitas quidem, nisi quæ sereniori vultu penetralia mentis aspexerit. Hæc hæret: nec infelici sortis eventu tollitur, quia felici non datur. Ne minimam quidem partem fortuna sibi vendicat; nihil hîc dicit suum: totum naturæ, totum Dei. Quid? Quisquis amator & æstimator ingeni, nec Attalo, nec Lucullo, nec Crœso, nec Mydâ minor est. Habet dominium, quod collabi non potest. Scitè Valerius Maximus, BONÆ MENTIS usurpatio nullum tristioris fortune recipit incursum.

DIXI.



NICO-



NICOLAI BVRGVNDI

DECLAMATIO

PALÆSTRICA.

Bruti ad populum de Collatino dimittendo.

Si libertatem, Quirites, salvam habere vultis, incipite velle amare. Reges jam pridem extirpati; substituti consules: at substituisti consules, ut iterum essent reges. videte, quoniam in discrimine res vestra sit constituta. Fasces Collatinus assumpsit, ut Tarquinio cederet: perdimus libertatem, quia retinere laboramus. regi studet, quem Patriæ consuuisse oportuit. Perieramus, si solus magistratum gereret. Quod Tyrannos pepulit, injuriæ suæ parentavit, non regno: quod Patriam liberavit, gratiam habeo; criminor tamen, quod affinem non neglexit. Revocare Tarquinios apertè nō potuit; dolis aggressus est: supellectilem iis restituit, ut pugnarent; arma subministravit, ut vincerent; patriam prodidit, ut regnarent. O facinus! Quid amplius potuit? Ecce conjurata juventus exulem revocabat. datum fidei Sacramentum, obsignatę Litterę: at in senatu detectę & reseratę sunt. Agnovi annulum filiorum, agnovit

P 3 ille

ille nepotum. Sed ego meorum suppicio oculos conseleravi. quid ille? causæ suæ velum obtendere, excusationi fucum adspergere, nolle cognato sanguine passere oculos, non posse supra ferarum morem savire. Latebræ, latebræ. quasi infra nepotum amorem positus sit paternus affectus. Scimus, Collatine, quid moliaris. Sponte tuâ fasces depone, priusquam extorqueantur: abi in exilium, quò te affinis ille tuus jam pridem exspectat: libera urbem metu. Consul suadet, Senatus jubet, Populus imperat. An exspectas, donec in te urbis furor atrocissimâ manu deserviat? non consulo. abi, inquam, & quod mox coactè facturus es, sponte perfice.

DIXI.



ANDREÆ PETRICOVI

DECLAMATIO PALÆSTRICA.

De facto L. Iunii Brutii, quo auctor fuit collegæ abdicandi se Magistratu.

AD FIDEM HIST. LIVIANÆ.

NON tanti fuit scelus punire, ut pressa innocentia gemeret, & virtus pateretur. Imò gravius peccat, qui bonos iniquè affigit, quam qui crimen

crimen aliquod sinit inultum. Remedia quædam tristiora sunt morbis, & multi, ne experirentur, quo dolore convalescerent, mori elegerunt. Nemo tamen Medicus ægrum ita curat, ut valentes occidat. Itaq;
Brutus, Pudicitia vindex, Libertatis assertor, Tarqui-
niis imperium gloriose extorsit. Sed idem mox colle-
gam suum, optimum civem, infelicem maritum Ma-
gistratu privavit: & quem Regii adolescentis injuria
toro fecit viduum, Brutus (scilicet) pietas exsulem Vr-
be proscriptis. Sic de hoste, non civibus mereare, ut
laudandus sis. An verò soli tibi, Brute, in nullo erit
discrimine Tyrannus, & Patriæ liberator? Adeóne
vecordi libertatis novæ studio lancinariis, ut quæ Su-
perbus Rex merito suo perpessus est, etiam in san-
ctissimum Consulem audeas? Tarquinium occupato
per parricidium Regno exuisti: Collatino Magistra-
tum comitiis centuriatis à Præfecto Vrbis delatum
eripuisti. Illum integris quinque lustris crudeli fastu
dominantem pertulisti; hunc ne auspicari quidem
annuam cum fascibus dignitatem passus es; utrum-
que horrendi carminis exilio damnans. Mitiorem
te reus Iudicem, quām Patronum innocens exper-
tus est. Nam bona Tyranni, quæ exsul jam per le-
gatos petierat, reddenda Senatus Consulto decrevi-
sti: Collegæ solâ vanissimæ plebis suspicione tradu-
cto nunquam astitisti. Primus etiam, tanquam con-
sortis impatiens, abdicandi se Consulatu auctor &
hortator fuisti. Non credere populum Romanum, soli-
dam libertatem recuperatam esse: regium genus, regium no-
men, non solum in Civitate, sed etiam in imperio esse. id
officere,

*T. Livius
lib. II.*

Ibidem.
officere, id obſtare libertati. O magnam pro libertate cu-
ram! o ſollicitum pectus! ſed ut non invidum cre-
dam, tuā, Brute, voluntate effice. Tu quoque in
exilium abi. exonerā civitatem vano forſitan metu. ſiqui-
dem ita perſuafum eſt animis, cum gente Tarquinia Regnum
binc abiturum. Scis quanto arctiore ſanguinis nexus cele-
ratum contingas regem, quām Collatinus? Regius tu ē
germanā ſorore; ille ex patruelē nepos. & ſi altiūs
originem utriusq; veſtrum repetas, jam iſ ē Tarquinii-
orum gente excidit. certe nunquam stirpis Regiæ fuit.
Nam Pater ejuſ poſthumus, & ab avo per inofficio-
rum teſtamentum velut exheredatus, nihil cum fami-
liā deinceps habuit commune: ſed novum potiūs ex-
orsus eſt cum nomine genus EGERIORVM. Avum
privatum habuit, proavum exſulem etiam atque pro-
fugum Corintho. Solus propatruus Regnum largitio-
nibus adeptus eſt; & iterum patruelis, Superbus ille,
vi ac parricidio invaſit. Ita Collatinus humili loco &
parentibus ortus, non animum regnandi, non vires
habuit. At contrā I. Brutus, Regis ſorore, Regis filiā
editus, inter filios Regis in ipsā Regiā educatus, ſpem
regnī, quam ſibi natales fecerant, reſponsis Deo-
rum alebat. neque obſcurè Imperium affectare cœpit,
poſtquam Delphici oraculi fidem impleturus, osculo
terram velut prolapsus contigit. Ab hoc igitur liber-
tati veſtræ metuite Romani, inane Tarquinii nomen
nequicquam exofī. Vixiſſet ſine Regno Tarquinius,
nunquam Reipub. gravis fuifſet. Regnum eſt, quod
Ferociſuperbiā, & Superbo contumaciā infauſtā
fœcunditate aggeſſit. Regis itaque nomen, non Tar-
quinii,

quinii, proscribite. Sed vos Regis nomen in sacrificulo veneramini, Tarquinii in optimo cive ferre non potestis; genus in exheredato persequimini, in familiari honoribus ornatis: gratiam inde hanc exspectantes, ut perfidi Iuniadæ scelestâ cum legatis conventione de reducendis in Vrbem Regibus paciscantur.

DIXI.



MAXIMILIANI DE CITEY

DECLAMATIO PALÆSTRICA.

Pro Lucio Bruto.

Si innocentia jam rea pro tribunali stare, & judicium subire debet, ultrà non eloquor; Brutus exulabit. Sin verò ea, quæ semper apud majores fuit severitas, quā bonus à malo discernitur, adhuc in urbe vivit, me hodie patronum habebit Brutus; neque ex illi tantum pœnam effugiet, sed conservatæ præmium libertatis consequetur. Sed patiar jam iniqua dici tempora, Brutumq; etiam innocentem judicio subjici. Nam quo potius signo amore erga Remp. declarare

Q

potuit,

potuit, quām cūm ut verus patriæ pater esset, pro-
 libus suis esse desiit? cūm inconcuso vultu eis virgis
 cædi, cūm denique securi percuti, citra dolorem vi-
 dit? O virum (scilicet) ambitiosum, qui ne quidem in
 posteritate vivere voluit! O collegæ infestum, qui pro
 universæ Reip. salute ipse solicitus, filiis iniquus fuit.
 Sed hec fortè ne dubitata quidem scrutor, & dum ca-
 put defero, reduviam curare videor. Lucius Brutus
 bonum civem, collegam, sociūmque suum, Libertati-
 tis Romanæ assertorem, dejici de Consulatu suadet.
 quid postea? in Leges civitatis, in amicitiæ jura L.
 Brutus involat: nempe, quia bonum civem, sed Reip.
 insidianem, quia collegam sociūmq; suum, sed perfidum;
 quia libertatis Romanæ assertorem, sed & tur-
 piùs desertorem in Consulatu esse noluit. Scilicet ego
 eum bonum civem appellem, qui restitutæ libertatis
 pallio involutus, majus excidium, majorem populo
 servitutem machinabatur? quēm non puduit publi-
 co in Senatu auctorem fieri, ut bona iterum Tarqui-
 nio redderentur? Quid? bonum civem, cujus nomen
 ipsum invidiæ plenum est. Hic est qui ingratus Lu-
 cretiæ suæ, piorum ejus cinerum despector, etiam ei-
 se amicum præsttit, cujus violentiæ pudor matro-
 nalis cesserat; qui gladium restituit, à quo periculum
 aris, focis, matronis, deniq; populo pernicies indu-
 bitata immineret. Hunc Brutus in Consulatu esse no-
 luit, exulem voluit. Verūm turpe forsitan in Bruto,
 eā caussam exilii in Collatino notare, quā etiam ipse
 notatus & insignitus erat; prosapiam scilicet regiam,
 odiosam non minùs, quām P. R. detestandam. hoc
 quidem

quidem non inficior; animadvertisendum tamen est, tria esse potissimum, quibus antiqua illa calamitas P.R. in memoriam rediret, & veluti quoddam vulnus libertati acquisitæ infligeret. Amor Tarquiniorum, nomen ipsum, **affinitas**. Amorem Collatinus publicè in Senatu testatus est: affinitatem negare non poterat: non enim, velut unguis in P.R. ad hoc prurienti ulcerare existabat. Hic tamen civis erit, erit **Consul?** Brutus verò inviderit & minori? Liquere non arbitror, sine detimento Reipub. Collatinum consulem manere potuisse: atque hinc nunc manifestum evadit, Brutum, nullâ ductum invidiâ, Collatino obstitisse. atque id apertius, si cognoverimus, omnes viri actiones spectavisse salutem conservationemque Reipubl. Et ut cetera omittam, quo quæso indicio pleniùs id ostendere potuit, quam cum filios interemit, ut P.R. sibi in filium adoptaret? O felicem te Brute, qui ferrum, qui flammam, qui cædem à populo removisti, cum tuæ fidei optimæ & spectatissimæ salus urbis & civium inniteretur! Tu, tu, Brute Consul, communis exitii inimicos cepisti: tu inclusam in litteris Reip. pestem deprehendiisti: tu periculorum indicia, tu auxilia salutis attulisti.

DIXI.

Q. 2

MAT.



MATTHIÆ BONERI

DECLAMATIO PALÆSTRICA.

Zaleucus non satisfecit legi sua, cum filio adultero unum eruit oculum, sibi alterum.

NE scio, quonam mortalium fato factum sit, ut importunâ naturæ propensione, tam faciles sint ad judicandum. Quivis actus alienos inquirit, alienæ vitæ quivis censor est. Ipsa principum decreta popularis judicii trutinâ ventilantur. In imâ plebe reperias, qui sapientia magnatum consilia, non consilia putet, sed deliria. Scilicet Consus Deus fugit generosas animas, abjectas insedit. Et quidem tam continua judicandi proclivitas, ut censeatur, quisquis censet. Alter alteri judex est. Sed ille profectò magnus humanæ mentis error, quod alienos mores curiosâ quærerit indagine, proprios non attendit. Expressit hoc reverenda vetustas, cum Lamias finxit domi cœcas, foris oculatas. *Tecum habita*, donec plena prudentiæ maturitas dignum te fecerit, qui de ceteris statuas.

Etiam

Etiam mihi libet *cum insipientibus furere*. Etenim paro de Iudice judicare. Vos tamen ignoscite, si de proprii præscripti regulâ videbor deviare. Sententiam dicam, non sententiam. Agam judicem, non ero. Lingua jūdicabit, non animus. Quippe nefas mihi fuerit, ad verum censuræ traxisse tribunal sacrosancta prisorum legislatorum facta, tanquam non justa. Solius exercitationis res est, quam molimur. Non nostræ dictionis scopus, ut in sententiam pedibus eatis; orare tantum proposui, non perorare. Audite, quæ dicturus sum, non sentite. Ego quidem qualiter dixero, num ad gustum? è vobis ipsis intelligam. Placuisse, continua- ta testabitur aurium attentio: displicuisse, tumultuans pedum explosio. Enorme crimen adulterium est: mul- torum Philosophorum opinione perjurio gravius exi- stimatum. Quasi levior foret violatio numinis, quàm thori. In omni benè constitutâ Republicâ pœnas adul- teri invenit. Apud Romanos lex Iulia temeratores alienarum nuptiarum ultore ferro persequebatur. Apud Iudæos rigidâ saxorum tempestate mœchus oppres- sus: apud Ægyptios naso truncatus: apud Athenienses paratilmo punitus. Ex nomine pœnam ferens apud Græcos Didymus tibicen, è testibus pependit. Zaleu- cus nomotheta Locrensum constituit exoculandum, quisquis adulterii convinceretur. Rectè. Nam radiis oculorum impudicus amor accenditur: ducibus oculis ad hoc scelus pervenitur. Verè Fabius: *Vitii in ani- mum per oculos via; oculi tota nostra libido; hi nos in omnia quo- tidie vitia præcipitant; mirantur, adamant, concupiscunt*. Sed quid Zaleuce? Filium tuum crimen jam fecerat adul-

terum;

terum; sententia tua declararat : & tamen videre non
desiit. Non satis fuit, altero lumen privasse: lex vo-
luit, ut utrumque vindice cuspide foderetur ; ac si
planè foret indignus ætheris beneficio, qui divinam
vel Lunæ , vel Solis reverentiam , nefandi facinoris
impuritate violasset. Dormivit in te ipso tua lex ? Ab
auctore suo obtinere non potuit, ut præscriptam casti-
gandi formulam justissimâ severitate sequeretur ?
Sententiaæ debitæ neglectu laudabilis tuæ sanctionis
auctoritatem minuisti, gloriam maculasti. Vel stri-
ctius in filii delictum , quàm alterius fuerat animad-
vertendum. Sic majus dignitatis suæ pondus apud
successuros judices statutum tuum habuisset , majus
prohibitionis suæ robur apud subjectos. Illos nun-
quam insidiatrix judiciorum corruptela , hoc nun-
quam illicitæ Veneris obsecena cupiditas expugna-
set : utrosque sanctissimi præjudicii memoria, severâ
quâdam religione continuisset. Tantum facit ad im-
petrandam legis observationem legislatoris exem-
plum. Summa Rerum publicarum salus est, vel exula-
re planè vitia, vel justè puniri. Non leviter igitur in
tuam legem peccasti , cùm turpissimi simul & gra-
vissimi criminis tam facilis ultor extitisti. Vix poenam
ullam influisse censemus es, quia non ex legis regulâ.
Remittitur potius facinus , quàm punitur , cùm sic in
puniendo delinquitur. Quid ? Plus Reipublicæ de-
bebâs , quàm filio ; plus Reipublicæ debebas , quàm
adultero: pluris tamen filium, pluris adulterum, quàm
Reipublicam æstimasti. Marcus Curtius, uterq; De-
cius, devotas animas impenderunt, quo nutans Ro-
manæ

manæ gentis gloria desineret periclitari. Tu nocentia filii lumina non impendisti, quò justitiæ fundatior florerebat auctoritas. Non tanti tibi fuit Astræa. Maluisti Deam negligere, quâm excæcare sôntem. Sedes jam proinde, cum dirâ furiarum triade, lacrymoso miserimæ vocis ejulatu judicibus inclamans, *Discite justitiam.* Admones ceteros, te ipsum crucias. Cogeris extortâ per pœnas testatione justitiam commendare, cùm exercere non potes; quia contempsti, cùm posses, imò cùm deberes. Si quidquid apud inferos durum Rhadamanthus imposuit; si cruciatum quâdam vicissitudine nunc Tityus es, nunc Sisyphus, nunc Ixion; dignissimè luis. Ipsis namque Numinibus refragatus impiè fuisti, quia non sat strenue prosequutus æquitatem. Hæc nullo quenquam habent discrimine, *Tros, Rutulusve fuat,* cùm supplicia sceleribus dispensanda sunt. Faciliùs omnium decorum suorum patientur jacturam, quâm Iustitiæ. Nec enim Numina sint, nisi justa. Tu mihi responde *Mercuri, facundene-* pos *Atlantis,* Deorum nuncie, cælestium arcanorum interpres: *Quid primum in Diis? Iustitia. Quid secun-* dum in Diis? Iustitia. *Quid tertium in Diis? Iusti-* tia. Te pudeat itaque Zaleuce, qui vili pendisti, quod tantu[m] facit æternus superæ sedis habitator. O malum! Lenocinantibus paternæ facilitatis illecebris inductus es, ut sacrosanctum tribunalis rigorem temerares. Index eras: animo debebas excludere, quidquid insidias justæ severitatis sententiæ facere potuisset. Mittendus in exilium paternus erat animus, ut disciplina legis vigorem suum obtineret. *Quid tu*

Iuni

1261

Iuni Brute? In foro, ante ora Quiritium, filios tuos securi percuti jussisti: quod novarum rerum cupidi, in regnum restituere Tarquinium cogitarent. Exuebas patrem, ut ageres consulem: orbis vivere malebas, quam publicae deesse vindictæ. Quid tu Manli Torquate? Gnatum tuum extra ordinem cum Geminio Metio proeliatum capit is poenam non exemisti, tametsi vix ab hoste superato spolia reportaret. Satius esse judicabas, patrem fortis filio, quam patriam militari disciplinam carere. Quid tu Aule Fulvi? Filius ad castra Catilinæ temerario tendebat impetu: medio ab itinere retractum Supplicii mortis affecisti. Non illum Catilinæ contra patriam, sed patriæ contra Catilinam genueras. O magnas Heroum animas! Qui spectatores eratis amovendi, poenarum ipsi fuistis executores. Plus Nemesi, quam Naturæ tribuistis. Nè longus exemplis sim; paucis dico: tota te, Zaleuce, condemnat Antiquitas.

Dixi.



IVSTI



I V S T I M V L D E R I A S C A N I
D E C L A M A T I O
P A L A E S T R I C A.

Cras serum est vivere, vive hodie.

SERVIRE nulli, viam quò libet flectere, quodcunq;
animo placitum fuerit agere, cùm datum sit
hominibus; una tamen est catena, quæ nos alli-
gatos tenet, amor nimirum vitæ: ita ille nos detinet,
ita perplexos reddit, ut vivere cùm nos putemus,
priùs incipiamus, aut potiùs jam desinamus etiam,
cùm non inceperimus. Neque enim tenacis terræ cal-
care gramina, vitalem hunc, & per cuncta rerum mea-
bilem aërem haurire, id est vivere, sed in vitâ morari.
Usque ad sapientiam vivas oportet, ut diu & bene vi-
vas. qui ad illam per venit, inquit Seneca, attigit non longis-
sum, sed maximum finem. agit hic quod vult, non desi-
derat particulatim admoneri, doctus in totum. Sed ab-
ducit plerosque pubescentibus genis decora artas, in
vitium flexibilis, aspera monitoribus, & utilia relin-
quere pernix. gaudet illa

*Equis cambusque & aprici gramine campi:
lætatur, dum fata sinunt, curas canis relinquens ca-
pillis. His, inquit, utile*

*Sen. epist.
5. lib. 14.*

*Horat. in
Arte.*

Invenal.

Pallere & toto vinum nescire Decembri:

R

tum

tum iuvat moroso & titubante corporis gestu Stoæ deliria percurrere. Sed quid? etiam ætatem disponis, cùm nec crastino domineris. Crede; nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. properat enim cursu Vita citato, volucrique die Rota præcipitis volvitur anni. Incertum autem est, quām propè versetur vitæ terminus, fortè in illam, quam præis, horam casus incidet. Ita igitur animum tuum forma, tanquam ad extremum ventum sit; nihil differ, vivere propera, & singulos dies, imò momenta singula, singulas vitas existima, & si fortè canos rugásque concederit benignior dicam, an iniquior natura mater? iis tu viaticum ab adolescentiâ, veram nimirum sapientiam, quære. Cultura illa est animi, quæ extrahit vitia radicibus, & preparat animos ad satus accipendos, eaque mandat his, ut ita dicam, serit, que adulta fructus uberrimos ferant. Ut ager, quamvis fertilis, sine culturâ fructuosus esse non potest: ita nec animus. Hanc igitur, quisquis vitam amas, quære; ne dicaris, fuisse tantum, non vixisse. quære: sed hodie. desidiosa nimis vox est, Cras hoc fiet. cùm enim

----cras hæternum consumperis, ecce aliud cras
Egeret hos annos, & semper paulum erit ultrâ.

Cicero
Tusculan.
q. l. 11.

DIXI.

NICO-



NICOLAI BVRGVNDI

NARRATIVNCVLA TRAGICA,

De puellâ, qua maritum occidit.

FACINVS novum & memorabile h̄ic narro, quod prop̄ Grudios nuper accidisse fertur. Virgo quādam egregiā formā abhinc paucos menses adolescentem sollicitavit ad nuptias; peractōque ex more officio, cūm adhuc penē Hymenæus in limine perstreperet, adversūmq; thalamum exornaret incesta vētis, sponsi sui exosa commercium, alieno congressu genialem torum contaminare cœpit. Neque se his limitibus insolens petulantia continuit. Quippe magis indies magisque stimulante libidine, implacabile odium concepit adversus maritum: & quō faciliū cupiditati locum faceret, domestico jurgio totos dies in cauponā detinebat. Redeuntem verò intempestā nocte cādem humanitate excipiebat, quā ejecerat. atq; (ut est ingenium mulierum ab irā proclive ad injuriam) fœdissimā linguae petulantia tacentis patientiam quotidie exagitabat. Tandē bonus ille vir, ut aliquando rabiosx conjugis evitaret insaniam, re-

Età se ad quietem composuit, suavissimòq; illo cātu, ve-
 lut Argus à Mercurio delinitus, facile somno immer-
 sus est. Quid tum fit? ubi illa maritum indormisse vi-
 det, neq; ultrà verbis posse ulcisci contumeliam; om-
 nia humani mansuetique animi officia exuit, & in fa-
 cinus prona cogitatio sese porrexit supra muliebris
 naturæ audaciam. Sine morâ igitur aggressa sternu-
 tantem, adhibitâ collo novaculâ, impavidè jugulavit.
 Ac ne tum quidem aliquid de crudelitate remisit; sed
 ne cadaver scelus proderet, tristissimo Medeæ exem-
 plo secuit in partes, atque infelicis mariti palpitantia
 membra in lutulento puteo dissipavit. Videas tum
 quotidie apud parentes increpare absentiam viri(aie-
 bat enim profectum in vicinum oppidum ad merca-
 tum:) videas nunc à præmiatoribus occisum fingere,
 nunc torrentibus undis noctu obrutum, cùm tituban-
 ti gressure referret pedem; imò fata ipsa deósque palam
 incusare, qui tam citò aperuissent divertio viam. De-
 nique ut omnia suspicionis vestigia tolleret, infestis
 unguibus radere genas cœpit, passis esse crinibus, imi-
 mico questu dolorem mentiri, eaqué omnia facere,
 quæ lugentes solent. Sed quid? *Malè est extra legem*
viventibus; quia eos semper pœna persequitur, quam
 meruerunr. Interea enim dum blanditiis amici squal-
 lentem exonerant, dolorisque pertinaciam expugna-
 re persistunt verborum lenocinio; non tulit fortuna
 diutius occultum nefas, neque sine vindictâ esse vo-
 luit tam execrabile temeritatis exemplum. Igitur ex
 eo solantium numero senex quidam notavit sibi in
 puteo aquis innatare lineam vestem(cui fortè ven-
 trem

trē interempti crudelis femina involverat, ne viscera exciderent:) frugalitatis suæ memor, eduxit curiosâ diligentia, atque in conspectu omnium, detecto humano pectore, tota sese tragœdia aperuit. Præterea in culcitro sanguinis relicta vestigia, dubitationi ultrâ locum non fecere. Confestim à misericordia ad iram conversis animis, cohiberi vix potuit justissimus parentum furor, quin recenti funere funus cumularet. Sed infra amicorum preces facinus fuit. Interim, ne res sine manifestâ ultione decederet, quaestione à Prætore habitâ, crudelitati suæ nefanda uxor tristissimâ morte litavit.

DIXI.



MATTHIÆ BONERI

DECLAMATIO PALÆSTRICA.

Mulier imperio digna.

INIVRIAM sequiori sexui fecistis, O Viri, quod feminas ponte, rostris, pœnulâ, laticlavo, trabeâ prohibendas decreveritis. Non illis novercata natura non producere prærogativam potestis, quâ præcella-

R. 3 tis

tis. Paribus prodivistis primordiis, pari conditione, solo corporum habitu discreti. Non soli bellatrices manus geritis; non soli largis scientiarum fluminibus inundamini; non soli recte consulitis: etiam mulieres Mars, Minerva, Consus instruxit. Dicam? Invidia sola stimulavit, uti tam indignè statueretis; quò tandem generosæ femininorum pectorum dotes obsolescerent, nullis exercitiis exultæ. Honoris, dignitatis, auctoritatis socias ferre nequivistis, sine quibus esse non sustinetis. Siccine rependitis pio matrum generi, quæ frequentes vitam linquunt, ut gnati auspicentur? Siccine in quoddam servitutis jugum campingitis, quæ tribus prosunt temporibus, ne servi nascamini? Discutite veterum scriptorum monumenta, lustrate retrogradam seculorum seriem; muliebrium virtutum vibrantes radii malevolos oculos ubiq; perstrin gent. Statuæ, flumina, campi, civitates, sepulchra testabuntur tacitâ fide, fuisse feminas, quæ manibus, animis, ingenii, mares vicerint, Deos stupefecerint, naturam transcenderint. Thrëicia Amazon superari non poterat, nisi solius Alcidæ devotâ victoriis dexterâ. Tomyris tremendum Cyri caput utre sanguinolento conclusit. Alexandri fulminantes acies Hippolite non expavit. In attonitos Tiberis fluctus imperterrita Clelia virgineum corpus immisit, non tantùm obsidione, sed etiam metu patriam solutura. Quis in divinâ Philosophiâ disciplinâ talem te formavit ô Socrates? Aspasia, Diotima. Quis apud Triumviros potente facundiâte defendit, Hortensi? Hortensia. Quis bellaci carmine Pharsalicas acies tecum

cum pugnavit, Lúcane? Polla tua. Cui refertis acceptam eloquentiam, Gracchi? matri Corneliae. Aestimavit Octavianus Cæsar femineum sexum: etenim nihil unquam suscipiendum putavit, nî priùs conjugis suæ sententiam explorasset. Aestimavit Iustinianus, Iuris Hercules: uxorem namque suam voluit sacrorum consciam, consortemque consiliorum. Aestimavit Xerxes: cuius in arcano concilio, delectos inter Persarum proceres Arthemisia non semel adsedit. Ite viri, Principes erroris damnate, quòd imprudentibus, quòd infidis, inconstantibus, quòd rimosis feminarum pectoribus secretiora sensa crediderint. In hunc modum calumniosè proscinditis innocentes animas. Amplius? Vitia fingitis, ut insectari possitis. lis figmentis reæ sunt. Quæ tua sententia, divine Plato? Omnibus partibus, quæ propriè virorum putantur, conjungendas esse mulieres, bellicis etiam; quippe cùm utrisq; natura una sit, eandem esse virtutem. Quid vos, ô Trogloditæ? Sacrosanctæ nobis fuerunt; & adeò, ut inter cursibus suis iratas dexteræ in mediis conflictuum furoribns constrinxerint. Quid vos, ô Germani? Reverendâ quâdam divinitatis aestimatione censuimus. Quid vos, ô Lacones? Dignas judicavimus, quas in sancta Curiæ subsellia admitteremus. Quid vos, ô Romani? Vestam matrem, pignus imperii, fidei virginali commisimus. Quid tu, ô erudita Antiquitas? Artes, Scientias, Musas cùm nomine, tum sexu feminino donavi: ipsius justitiæ Præsidem, Deam feci, non Deum.. Quid vos demum ô Dii que Deaeque omnes? Pandoram sumpsimus, feminam sumpsimus, in quâ bean- dâ di-

dā divinæ potentiaæ vires experiremur. Desino. Nec
enim amplius humana exquirenda sententia , quando
divina decidit. DIXI.



ELOGIVM

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

AD ILLVSTRISSIMVM CARDINALEM

FREDERICVM BORROMÆVM ARCHIEPISCOPVM MEDIOL.

E

PALÆSTRA BONÆ MENTIS.

ILLVSTRISSIME DOMINE,



AGNA percussit admiratio juventutis
nostræ animos , ubi magnitudinem o-
peris tui fama exposuit. Nam si verum
fateri licet, & ab adulationis fuso sine
invidiâ recedere , omnem memoriam
antiquitatis superast litterarum affectu. Quid? tantos
sumptus

sumptus ab unius liberalitate profluxisse an aliquando creditura Posteritas? Neque h̄ic pompam refero librorum, aut selectissimum apparatum. Ecce clavum induunt in hoc MVSEO Litterarum amatores: aureoq; numismate insignita Sapientia, extra vulgi latebras venerandæ majestatis suæ lumen effundit. Rident simplices & dotatæ Musæ, ubi sese intelligunt esse phaleratas: imò jam maritum inveniant, si de solâ dote quæreretur. Quid ultrà Romam contendimus hospites, & ruinosa lustramus antiquitatis vestigia? putamusne lassam & effœtam ætatem nostram nihil usq; ad miraculum parturiisse? libens euidem de me ipso confiteor, extra hanc BIBLIOTHECAM desiderium meū vix extendi. Veniam aliquando in hoc Litterarum domicilium, quò sese Apollo, ad fugam nuper accinctus, recepit, & quidquid unquam mollis illa Poëtarum adoravit insania. Tunc enim actum erat de Republicâ nostrâ litterariâ: tunc in extremitate constituta eruditio, tacito lapsu cogitabat interitum. Nam cùm passim omnes sese crederent eloquentes, qui vel unico pede Musarum limen aliquando pulsassen; hoc solum ignorantia perfecit, ut nomen illud Oratoris in ergastulum damnaretur, aut ad stipem. Attu, ILLVSTRISSIME DOMINE, huic malo salutem invenisti. Debemus hoc liberalitati tuæ, amatores Bonarum Ar- tium, ut non servire dicamur in posterum, sed domi- nari. Quin etiam accensa Belgica nostra juventus tam generoso spectaculo, in PALÆSTRA BONÆ MEN- TIS, Auctore & Directore Clarissimo Viro, ERYCIO PvTEANO Tuo, conatur ostendere, quām suave sit in

S Heli-

Helicone versari. At si honestarum Exercitationum amabile auspicium prætervolante radio strinxerit sublimis ille oculus tuæ benignitatis; bone Deus, quanta nobis spes æternitatis erit! Sed quid diffido? in alium orbem sese nomen tuum extendat necesse est, quod angustis limitibus Italix concludi non potest.

DIRECTORIS & PALÆSTRAE jussu

Nicolaus Burgundius.



FRED. CARDINALIS
BORROMAEVS

NICOLAO BVRGVNDIO

S. D.

NICOLAE BVRGVNDI. Vidi libenter Elo-
gium, quo Bibliothecam, & Collegium Am-
brosianum laudasti nomine PALÆSTRÆ
BONÆ MENTIS. Et sicut amico nobilium ju-
venum erga me résque meas adfectu valde sum de-
lectatus; ita præcipue ingenium amavi tuum, quo
adfe-

adfectum ipsum expressisti. Vtrumque verò, animorum scilicet humanitatem communiter, & elegantiam orationis privatim, quasi præclaræ istius
 PALÆSTRÆ fructus optimos, non sine sensu jucunditatis agnovi. Sanè digna est PALÆSTRA, quam diligenter excolatis, siquidem Athletas suos ea tales facit. Nos hîc si quid effecimus, gloriæ divinæ studio, Patriæ caritate sumus inducti: & meremur aliquo modo, ut conatus nostros studiosi Literarum homines suis apud Omnipotentem Deum adjuvare precibus velint. Id si tu feceris unâ cum sociis, non minorem à me Collegioque meo gratiam officiosa pietas inibit, quam humanissimæ laudes iniere. Vale. Mediolani. Nonis Septembr. Anno clo. Icx.



S 2

AD



AD ILL VSTRISS. ET REVERENDISS. D.

FREDERICVM BORROMÆVM

CARDINALEM ET ARCHIEPISOPVM
Mediolanensem.

Borromae, sacra gloria purpure,
Divorum radius, gemmāq; præsulum,
Insubrum columen, Pieridum salus;
Quo te Magne canam carmine? quā tuas
Laudes Musa pavens commemoret tubā?
Agnosco teneris viribus impares
Agnosco sonitus; si tamen acribus
Hortatur stimulis Delius, arduo
Conatu pietas perget, & inclytæ
Virtutis meritum non sinet impii
Damnari tenebris Musa silentii.
Quanquam Pieriā nil opus est Lyrā,
Nil Phœbi numeris: per mare, per solum,
Quā Titan rutilo nascitur athere,
Quā fessus rapido mergitur aquore,

Curſu

Cursu, non humili famâ, sed aureo
 Curru conspicuum te vebit, & polos
 Pulsantemque sacro sidera vertice
 Omnis te regio cernit, & indolem
 Diam rite beans concinit, & pii
 Miratur Genii prodigia, & Iovi
 Et carum Superis pectus, & artibus
 Munitum variis, & Sapientia
 Firmum presidiis. Quidquid amabileis
 Devotum studiis Aonidas colit,
 Te patrem Aonidum, te Clarii gregis
 Tutorum, innocui & dulce decus chori
 Agnoscit venerans. Te Grudia in Scholâ,
 Quam reddit celebrem Suada Palestrica,
 Flos lectus Iuvenum cantibus amulis
 In calum memorans tollit; honoribus
 Dives Pieriis, vate potens, mea
 Te candor patriæ, Gandaque nobilis,
 Et te tota sonat Belgica, & ignibus
 Ardens insolitis te sequitur, BONÆ
 Cultum MENTIS amans; te procul aspicit
 Marcanus Tragici gloria Syrmatis,
 Absentemque videt. Macte perennibus
 Victuris titulis! macte potentium
 Vatum dulcis amor, inclyte, maxime
 Heros! tu gelidis fontibus ebrium

Pindum, tu scatebras alitis unguis
 Siccabis, patulo gutture dum bibet
 Nectar Pegaseum, dum sacra flumina
 Vatum lata cohors hauriet, in tuum
 Quæ fundat gremium. vive, fove pias
 Mentes, Magne Pater. barbarus imminet
 Europam quatiens horror, & improbo
 Non Gotho melior, non Scythia malo,
 Spirat prisca minax funera vastitas:
 Tu caras placido Pieridas sinu,
 Et serva trepidum latus Apollinem.
 Cedet Tuscatuo gloria nomini,
 Cedet Tfortiadum gratia principum,
 BORROMÆE, tui Pollio faculi.



NICO-

NICOLAI BVRGVNDI

ODE.

NE TENTES, AVT PERFICE.

RECTIVS siccas pelago carinas
Subtrahes; quām si modō s̄eviente
Africo tactus, metuas relictum
Naufragus æquor.

Sive longinquis aditurus Indos,
Solis ardenti positos sub ortu,
Sive quā currus tremulâ recondit
Phœbus in undâ;
Exitum tristem patitur repressus
Impetus. Pœni furor ingruentis
Fractus, hostili patrios Penates
Solvit aratro.

Raptus in cælum Phaëthon rubentem
Dexteram sensit Iovis, ut paternum
Gestiit currum stolidus profanâ
Flectere dextrâ.

Icarus fictis agitatus alis,
Nesciit pennâ sapienter uti,
Et nimis serò patrium vocavit
Nomen in undis.

Scilicet prudens, animo imminentे
Lancinat curas: dubiosque fluctus
Cautus horrescit, malè pollicenti
Credulus auræ.

PETRI



PETRI CASTELLI
DE
PALAESTRA
BONÆ MENTIS
AD
Clarissimum Virum
ERYCIVM PUTEANVM
ORATIO.
In Collegio Trilingui habita.

Si perpensa temporum serie , ipsas rerum vices
contemplemur ; in hoc Vniverso nihil diutur-
num, nihil fixum , sed omnia non procul ab ipso
exortu , flore quodam enituisse , ac demum exiguâ
interpositâ morâ , festinato quasi senio effœta jacuif-
se reperiemus. Imperia , quæ lentis iverunt ad sum-
ma incrementis, præceps interitus rapuit. Atque ut
Medos, Persas , Macedonas omittam , quantæ
----molis erat Romanam condere gentem !
Stetit illa quidem , sed ubi veteris disciplinæ impa-
tiens , magnitudine suâ laborare cœpit; non gradu,
sicuti

sicuti creverat, sed præcipiti cursu pessum ivit. Nec verò solùm Republicas vicissitudo agitat; etiam hominum ingenia versat, nec minùs ævi quām industriæ discrimina facit. Percurramus ætatem singulorum, qui scriptis claruerunt: *Cujusque clari operis capacia ingenia, in similitudinem & temporum & profectuum semetipsa ab aliis separaverunt.* Idem ætatis spatiū tulit Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Tragœdiæ scriptores. Priscæ Comœdiæ salibus, Cratinus, Aristophanes, & Eupolis idem ævum perfricuerūt. Eodem temporum tractu Philosophorum ingenia Socratico ore derivata, sese diffuderunt. Post Isocratis auditores, eorūmq; discipulos Eloquentia obmutuit. Denique (Vellei sententiâ utar) ut quisquis temporum institerit notis, reperiet eminentia cuiusq; operis artissimis temporum claustris circumdata. Reperiet etiam quamcumq; ætatem eminentis ingenii feracem extitisse: verū nullo sæculo tanta Bonarum Artium sterilitas fuit, quantam Gothorum fœda proluvies Latio invexit. ejus enim contagio longè latèque grassata, non unius infecit ætatis indolem, sed fœcundâ sobole in posteros missâ, quidquid uspiam spirabat Bonarum Artium, attachu barbaro contaminavit, aut extinxit. Quòd si quis generoso præditus animo, vel priscorum inventis addere, vele adem ab interitu vendicare studeret; infesta virtuti alienæ & gloriæ invidia conatus optimos retardabat. Evicit tamen obstantis injuriæ violentiam felicitas disciplinarum, & barbarum squalorem nitida facies excepit. Sed difficilis in perfecto mora est; quódque procedere non potest, retrò sublabitur. Timenda &

T

hic

h̄ic vicissitudo, studiorumque mutatio: eam autem non inferet siderum influxus, aut fatalis ordo rerum, sed torpor animorum, & supina ignavia, & ex ijs nata imperitia. Ea verò ex sententiâ Platonis duplex est: altera, dum quis ignorantiam suam confitetur, & in omnibus eius veniam deprecatur: quam Plato vocat ἀναμέρτητον. nos Gellij vocabulo appellabimus *impeccabilem*. nam extra omnem est peccati culpam, qui alienæ fidei se committit, ijs in rebus, quas ignorat. Altera est ignorantiae species, dum quis amore sui cæco fertur in præceps, seq; omnia scire putat, cum sit omnium ignarus. fieri enim solet, ut plurimum concipiat venti, qui inanis est. Et hanc Plato ait esse ἐπονείδισον, οὐ παγὰν τὸν πάντων ἀμαρτημάτων. et hujus δοκητοφiliaς Mystæ, planè velut in Lucianici Rhetoris ludo edocti, quidquid in alio admirationem merentur, ideo contemnunt, quia non possident. Adversus quos illud Pythagoræ in promptu habendum: μεγάλην παιδείαν νέμετε, διὰ τοῦτο φέρετε ἀπαθετικά. Sed propè est, ut in ipsis litteratos. Litteraturæ contemptum referam. Nam dum nimiâ curiositate minutissima rerum excutiunt, de voculâ tanquam de vitâ certant; umbram doctrinæ venantur, ejus autem solidum robur omittunt, & ipsam Eloquentiam, quâ nihil maius fatentur, nugalibus argutiis impendunt. Alii contrâ Eloquentiæ pulchritudinem, petitis ex Attio & Pacuviodictionibus, veluti maculis conspergunt; ac tūm sibi miri videntur Oratores, si ea scribant, quæ ne decem quidem Sibyllæ intelligant. Ab hoc duplice vitio, duplex nata calumnia, ja&tantibus aliis,

circa

circa nugas versari Litteratos; aliis, docendi claritatem
quæsito verborum fuso obscurari. Ego Criticorum
acumen in nugis lasciviens damno; & inter docen-
dum quoq; perpendi volo, non quid mollibus auribus
adlubescat, sed quod audientibus utilitatem adferat.
Et veluti præposterum Antiquariorum studium non
laudo, qui ab usu remotissima verba scrupulose con-
quirunt, tanquam cum Evandri matre loquerentur:
ita eos, qui præclaram nobilèmque disciplinam fodi-
dis & ignobilibus verbis contrectandam putant, non
minùs absurdos esse puto, quàm qui manibus luto
oblitis pulvisculum è purpureo panno conentur abs-
tergere. Dum Græcam aut Latinam colimus disci-
plinam, cur à Gothis potius & Scythis, quàm è La-
tio aut Græciâ verba petamus? nempe quia obscura;
sed ignaris. Atqui ita præparandi sunt Iuvenum a-
nimi, ut si quid in omni disciplinarum genere profe-
ratur elegantius, capere possint: aut, si quid obscuri-
us videatur, ignorantiae suæ adscribant, non elegantię,
quæ nisi cæcutientibus obscura est. Turpe est ex alienâ
accusatione culpæ suæ patrocinium petere. Quid si
Talpa lucem, Noctua Solem accusent, quòd nihil
videant? At, inquiunt, quid de verbis laborandum,
modò veritatis ratio constet? fateor: veritas scipso
contenta est, suo se pretio, nō alienâ opinione metitur,
potens, etiam si vi suâ tantum instruatur: at nemo ne-
gabit eam *potentius animis influere, si luce orationis ornetur.*
Aureo pugnat clipeo Achilles, coreaceo Ajax: an i-
deo inferior Ajace Achilles, quia pretiosioribus armis
dimicat? Sed quibus tantopere simplex & nuda adlu-
bescit

bescit veritas, audiant, oro, D. Aug. Quis audeat, inquit, dicere ad versus mendacium in defensionibus suis inermem debere consistere veritatem? ut illi videlicet, qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel bene volum, vel intentionem, vel docilem proœmio facere, isti autem non noverint. Et plura in eandem sententiam eloquentissimus Antistes disceptat. Quid Tertullianus? magnâ, inquit, curiositate, & majore longè memorâ opus est ad studendum, si quis velit ex Litteris receptissimis quibusque Philosophorum vel Poëtarum, vel quorumlibet doctrinâ sapientiae secularis magistrorum testimonia excerpere Christianæ veritatis, ut emuli persecutorésque ejus de suo proprio instrumento, & erroris in se & iniquitatis in nos rei revincantur. Quantum veritati præsidium adferat Eloquentia, intelligebat Julianus, qui Christianis Scholas liberalium studiorum præclusit, ratus fore, ut Religio destituta doctrinæ facundiaque præsidiis, sponte suâ corrueret. Sed contrâ steterunt viri, non minùs eloquentiâ quam sanctitate conspicui, Basilius & Gregorius. Et cur gravior, obsecro, disciplina nitidam orationem respuat? quia doceri contenta. Sed non semper agendum, ut quis discat; nec semper animus recta monstrantem audire paratus est. Laborandum sapius, ut quis discere velit: sermonis elegantia, invitamentum est. Vos etiam, ô Lecta Iuventus, disciplinas omnes languescere putatis, nisi Litteratæ eruditionis rore adspergantur. Ac propterea optimum exercitii genus sponte subitis in PALÆSTRA hac, velut in Platonicâ Academiâ, aut Ciceronianâ: quibus vestra merito nobilior haberi potest, quod non, ut illæ, platano aliquâ superbiat, sed

sed auro, quod Imago fecit pretiosius. In Academiâ platonum celebrat suam Plato, suam Cicero; vos in PALÆSTRA Principem. Effecisti, ERYCI PUTEANE, ut nobilius argumentum celebrandæ PALÆSTRÆ Iuventus habeat; non lignum loquatur, sed aurum, & decorum os PRINCIPIS. Lacestant licet sinistra multorum judicia, & vellicent: communis ea fors est, exordia rerum omnium illis obnoxia esse solent. Sed Tu quanto cum fructu occuperis, à reprehensoribus discis. Iam & bonorum magnorūmque judicium sufficere debet, olim cùm novitatis invidia decesserit, industriæ testimonium habituro. Nam si apud Platonem Ion ob explicatum Homerum sibi videtur ὅπο δύναται ἀξιοῦ ξενου χρυσῷ σεφάνῳ σεφανωθῆναι: tu, qui universam Litteraturam extollis, atque omnibus ad solidam Eloquentiam Ductorem te præbes, multo dignior es, quem Musæ, atque ipsa etiam Suada triumphali Laureâ cingant.

DIXI.



T 3 EXEM-

EXEMPLAR

S C H E M A T I S M I
P A L A E S T R I C I ,

VT INITIO MENSIS CVIUS QYE
 proponi solet.



E X E R C I T A T I O N E S
 P U T E A N A E
 I N
P A L A E S T R A

* Et sic
 ordine :
 Februa-
 rio, Mar-
 tio, &c.

BONÆ MENTIS
 MENSE * JANVARIO.

HEBDOMADE I.

DISSESSATIO.

QUOD Senatus olim Severo Imperatori acclamavit; Serenissimo Optimoque suo Principi ALBERTO Belgarum populi: πάντες πάντα καλάς ποιοῦσιν, ἐπειδὴ σὺ καλῶς ἀρχεῖς: Omnes recte faciunt omnia, quia turectē imperas. Xiphil.

HEBD.

HEBD. II.

RECITATIO.

Etiamsi omnibus tecum viventibus silentium Litor indixerit, venient qui sine offensâ, sine gratiâ iudicent. *Seneca Epist. LXXIX.*

HEBD. III.

LECTIO.

ECicerone, Quinctiliano, Sallustio, Livio, Tacito, Senecâ, Plinio, & optimis quibusque Latinis, atq; etiam Græcis.

HEBD. IV.

DISPUTATIO.

THEISIS I. Paucis natus est, qui populum ætatis svæ cogitat. *Seneca Epist. EXXIX.*

II. Salubrem Solonis fuisse Legem arbitramur, quâ cautum erat, Si ob discordiam dissensionemque sedatio atq; discessio populi in duas partes fieret, Ob eam caussam irritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque; tum qui in eo tempore, in eoque casu civilis discordia non alterutri parti sese adjunxerit, sed solitarius separatusq; à communi malo ciuitatis secesserit; is domo, patriâ, fortunisque omnibus careto, exul extorrisque esto. *Agellius lib. II. Cap. XII.*

III. Heredem ferre honestius est quam querere. *¶*
Mage fidus Heres nascitur, quam scribitur.

* N.

THES.

* Nomina
eius, quæ
Theses
præfiguntur.

THESES I. Pudore & liberalitate Liberos retinere satius esse credo, quam metu. Terentius.

II. Mulierem Smyrnam, quæ virum & filium interemerat, cum ab his optimæ indolis juvenem, quem ex priori viro enixa fuerat, occisum comperisset, sapienter cum accusatore post centum annos adesse Areopagitæ jussérunt. Valerius Max. lib. viii. cap. i. Agell. lib. XII. cap. vii.

III. Turpius esse dicebat Favorinus Philosophus, exiguae atque frigidæ laudari, quam insectanter & graviter vituperari. Agellius lib. xix. cap. iii.

N.

* ARBITRO.

* CURATOR.

N Nomen
secundo
loco dis-
putan-
tis.

* Hic no-
men u-
triusque
exprimi-
tur.

Atque in hunc modum argumenta variantur; quæ ex optimis selecta Auctoribus, ad Prudentiam pariter & Eloquentiam ducant, omnemque adeo Animi atque Ingenii cultum. Capessite, qui pulcherrimam facillimamq; discendi occasionem nacti estis; imò capessite, qui Exemplum cernitis.

F I N I S.